
Theodore Besterman

P S.

335

Sum
Joannis van L[illegible]
Junioris 1667



# Emblemata FLORENTII SCHOON-HOVII I.C. Goudani,

## Partim Moralia partim etiam Civilia.

*Cum latiori eorundem ejuſdem Auctoris interpretatione.*

Accedunt et alia quædam Poëmatia in alijs Poëmatum ſuorum libris non contenta.

GOUDÆ,
Apud Andream Burier.
cIↃ.IↃ.C.XVIII.

Ampliſſimis, Prudentiſſimiſque Viris,

# D. Prætori, Conſulibus,

## Scabinis, ac univerſo Senatui inclytæ Civitatis Goudæ,

FLORENTIVS SCHOONHOVIVS

hæc

*Dicat, Sacratque.*

GRaviſſimè & prudenter à præſtantiſſimo Philoſopho litteris proditum eſt, Viri Ampliſſimi; Quales in Republicâ moderatores ſunt, tales reliquos ſolere eſſe cives. Etenim cum vita Regentium publica cenſura ſit, eaque perpetua, & generoſis ingenijs non tam imperio opus ſit, quàm exemplo, ipſi gubernatores factis ſuis præeuntibus, quæ ſunt blandiſſimum jubendi genus, ſubditos ſuos in officio continent, ipſaque æquitas & ratio omnes bonos adhortatur, ut legittimam eorum potentiam, atque autoritatem, quibuſcunque rebus poſſint, tueantur ac revereantur. Videmus, ubi mens ſana viget in ſano corpore, vigere quoque, & effulgere admirandas ejus functiones: ſic Civitates, ſi prudenti eorum, qui ad publicum clavum ſedent, ductu & auſpicio regantur, florent, & tantum ultrà reliquas urbes caput efferunt,

*Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* Virg.

Græci quâ ratione evaſerunt toto orbe tam laudabiles? nempe quòd cæteras, quas illi barbaras vocabant, nationes omnes Sapientiâ & ingenio anteirent?

Petronius. Vnde tantum nomen *Quà ſidus currit utrumque,* ſortitæ ſunt Athenæ? hoc pacto ſcilicet, quòd haberent præſtantes ingenio ac Sapientiâ viros. Parva denique oppida, ſi à prudentibus gubernentur, parvo temporis ſpatio maxima incrementa ſumere poſſunt. Teſtis eſt, Viri Ampliſſimi, laudatiſſima veſtra Reſpublica, quæ prudentiſſimo veſtro ductu & auſpicijs, veterem ſuum vigorem, alijs quibuſdam ad interitum vergentibus, reſervavit, & adhuc quotidie maximum ſtatus ſui incrementum capit. Idque non alijs modis, quàm ſapientiâ veſtrâ, & fideli legum cuſtodiâ, quæ Civitates (ut Euripides inquit) continent, quæ omnem ſocietatem, & bonam reddunt, & ſtabilem conſervant. Dicebat Dionyſius ſenior, Vi atque Metu, tanquam adamantinis vinculis, magna imperia retineri; Quod ſcitè ſanè, & ex Patriæ ſuæ conſuetudine Ageſilaus refutavit; Ex eo enim quum quæſitum eſſet; Vtra eſſet Virtus præſtantior, Iuſtitiane, an Fortitudo? Hæc, inquit, ſine illâ, tantum ad perniciem valet: at illi ſi pareant omnes, hujus uſus nullus futurus eſt. Suaviſſimè Horatius,

Lib.4.ode 5
*Tutus bos etenim rura perambulat,*
*Nutrit rura Ceres, almaque fauſtitas,*
*Pacatum volitant per mare navitæ:*
*Culpari metuit fides.*
*Nullis polluitur caſta domus ſtupris,*
*Mos & Lex maculoſum edomuit nefas,*
*Laudantur ſimili prole puerperæ,*
*Culpam pœna premit comes.*

Idem vos pro ſapientiâ veſtrâ ſtatuitis; Hæc potiſſima fulcra, fortiſſimos tibicines omnis politici ſtatus judicatis, Iuſtitiam, & concordem inter ſubditos veſtros Religionem. Quam (ut conſentiens fama de vobis ſemper teſtabitur) hactenus ita eſtis tutati, ut, dum præcipuas Bataviæ urbes (Heu fatum noſtrum) opinionũ quarundam in Religione diſſidium, adeò vexaret, ut propemodũ divortium, & vorſuram à ſeſe mutuò

facerent,

facerent, vos maturum amuletum ei morbo adhibendo, tanquam in altiſſimo otio, atque alcedonijs, cum ſubditis veſtris beatiſſimè vixeritis, & pœnè uni firmi immotique ſteteritis, in communi illo motu. Videbatis ſcilicet, Ampliſſimi Viri, noxium hoc Religionis diſſidium, maximos rerum publicarum nervos incidere; idcircò aut ei reſiſtendum, aut doctrinâ, & ſedulâ inſtitutione oportunè conſopiendum. Ne tandem illud audire cogeremini,

*Quantum Relligio potuit ſuadere malorum.* Lucret.

Porrò Viri Ampliſſ. quanquam innumera exſtent in civitatem veſtram, Patriam mihi chariſſimam atque ſanctiſſimam, merita, non ero tamen in ijs commemorandis prolixior, neque reliqua virtutum veſtrarū præconia, (ne in publica commoda, quibus aſſiduò in majus provehendis ſtudetis, peccem) recenſebo, finitimorum veſtrorum tacitæ conſcientiæ interea judicandum relinquens, quam laudem mereamini. Illud me hercules tacere non poſſum, me, quoties hæc rumino, (rumino autem ſæpiſſimè) illicò in veſtri nominis amorem, ac venerationem incitari, & ſedulò evigilare, quo potiſſimum pacto veſtros animos, quos naſcentis meæ laudis fautores experior, mihi dignè demereri queam. Et quidem in hoc rerum mearum ſtatu, non alia occurrit aptior occaſio vobis gratificandi, quàm ſi hunc Emblematum meorum libellum, jam per triennium, & quod excurrit, in ſcrinijs meis ſervatū, tandem à bibliopolâ Andrea Burier multis precibus mihi extortum, ſub veſtro nomine, in Æde Muſarum conſecrarem. Non mercenariâ ſpe illectus, ut caput unctius referam, ſed ut oſtendam, quicquid poſſum, id ipſum, immò hunc ſpiritum in veſtræ ſpem gratiæ militare. Munus certè hoc noſtrum, ſi ex veſtrâ dignitate ſpectetur, perexiguum, ſi ex viribus meis, mediocre, ſi ex animo, magnum eſt. A quo ſolo, ut alia deſint, vobis gratum & acceptum eſſe velim, idque eò magis futurum ſpero, quòd non ab inquilino aliquo, ſed ejuſdem Reipub.

municipe, eoque, cujus Parens laudatiſſimi veſtri Collegij Conſularis, non ita pridem conſors fuit, profectum ſit. Et certè Viri Ampliſſ. (ſi qua bonis de ſe fiducia eſt) non in tam ſterili arvo ſementem ingenij noſtri fecimus: Edimus enim Emblemata; ſtudij genus fœliciter fallax, utpote quod plus Philoſophiæ in receſſu habeat, quàm quidem primâ fronte promittit. Hoc opus à paucis adhuc (quod citrà jactantiã dictum) in Bataviâ veſtrâ tractatum eſt. Aliquot abhinc annis, Viri omni æternitate digniſſimi, D. Hugo Grotius, & D. Daniel Heinſius quædam juvenilia, id eſt Amatoria edidêre Emblemata; opus me hercules & lepidũ & venuſtum, ſed quod auctores illi magni vix tanti putant, ut pro ſuo agnoſcant. Olim etiã Vir ſummus Alciatus, de cujus laudibus nihil tam magnificè dici poteſt, quod ad meritorũ ſublimitatẽ aſſurgat, doctiſſimo Emblematum libello, omnibus palmam præripuiſſe videtur. Hunc ſequuti ſunt, Hadrianus Iunius, & Iohannes Sambucus, ſed an pari ſucceſſu, aliorum eſto judicium. Poſt hoſce Roſcios me in Orcheſtrâ ſaltare auſum, aliqui fortaſſis ut Suffenũ ſuggillabunt: Quibus ego reſponſum velim, nec mihi, nec alteri cuiquam præcluſum eſſe ad ſcribendum iter, meque non tam oſtentandi, quàm exercendi ingenij causâ, vel ut alios doctiores excitarem, id feciſſe. Sciant etiam,

(——— *Si quis tamen hæc quoque, ſi quis*
*Captus amore leget*)

& nos aliquid inveniſſe, quod poſſit eſſe uſui, aut voluptati. Prima ſequentem, honeſtũ eſt etiam in ſecundis, tertijſq; conCic. de Orat. ſiſtere: Nam in Poëtis, non Homero ſoli locus eſt (ut de Græcis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: ſed vel ſecundis, vel etiam infrà ſecundos. Idem aſſerit Romanæ fidicen

Lib. 4. Od. 9 Lyræ, *Ne fortè credas interitura, quæ*
*Longè ſonantem natus ad Aufidum,*
*Non ante vulgatas per artes*
*Verba loquor ſocianda chordis.*

*Non ſi*

*Non ſi priores Mæonius tenet*
*Sedes Homerus, Pindaricæ latent,*
*Ceæque, & Alcæi minaces,*
*Steſichorique graves camænæ;*
*Nec ſi quid olim luſit Anacreon,*
*Delevit ætas, ſpirat adhuc amor,*
*Viuntque commiſſi calores*
*Æoliæ fidibus puellæ.*

Hâc ſpe fretus, laudabile hoc ſtadium decurri, invitante me profundâ illâ Sapientiâ, quæ olim tota ferè, cum necdum operâ Platonis, Carneadis, & Chryſippi, didiciſſet eſſe loquax, ſub minutilis hiſce notis latitabat. Ægyptij enim Sacerdotes, ſacrorum ſuorum myſteria, ſub obſcuris, & in ſpeciem penè ridiculis ceremonijs ſignificare ſolent, ut profanū vulgus à Sacris ſuis arcerent, & dumtaxat ab ijs intelligerentur, qui ſacris ijſdem initiati eſſent. Hæc ut cognoſcerent, Plato, Pythagoras, alijque æterni nominis viri, Ægyptum peragrarunt, ibique ex brevibus illis ſculpturis, eam ſapientiam apprehenderunt, quam tot tantiſq; voluminibus poſteà tradidêre. Hæc cum ita ſe habeant, quis conatus noſtros, in hoc planè divino ſtudio poſitos, vituperet? Quis non potius utrumque mihi pollicem premat? Ego ut rudiorum ingenijs conſulerem, & Emblematum originem oſtendi, & inſignium virorum exempla, dictaque, petita ex Morali Philoſophiâ, omnium ſtudiorum, in quibus ſe humanus labor exercet, optimâ, ſubjunxi. Sciens ea permagnam vim habere, ad ingenerandum animis benè natis amorem Honeſtatis, atque Virtutis. Si enim in atrijs diſpoſitæ imagines, poſterorum animos ad gloriam & verum decus excitent, quantò magis in mentibus noſtris ſuſcitari convenit igniculos Probitatis; ubi exempla illa, dictaque, de quibus nunquam conticeſcet æternitas, ad vivum expreſſa videmus? Quem non vel graviſſimo veterno ſepultum expergefaciant, & altius in animum admiſſa, intrepidè ducant

ad pulcherrimum illud Bonæ Mentis ſacellum? Cæterùm non omnia, quæ in medium adferri poterant, attuli, ſed ut Fabius inter Grammatici Virtutes collocat, quædam neſcire; ita in his diligentiæ partem eſſe putavi, quædam præterire. Vos Ampliſſ. Viri, munus veſtrum benevolè amplectimini, pro quo veſtrum nomen, velut amuletum, ad averruncandam invidiam, & placandam Nemeſin excubabit, ſub quo eodẽ, placeat, relegatur, ametur. Valete, & Rempub. veſtram periculoſiſſimis hiſce temporibus, fœliciter & providè regite, indubitatè ſcientes, omnibus qui patriam ſuam adjuverint, exiguam tenuemque auxerint, juſtitiâ, pace, bonis legibus ornaverint, ijs ſuam certam mercedem, non in celebri loco Statuæ, ſed ordinatum ac conſtitutum in cœlo locum, in quo extrà omnem ſortis viciſſitudinem, cum æternis illis mentibus, quarum corpora naturæ conceſſerunt, beatè, non aliquot annos, ſed ævum immortale agant, cum ſummâ & perpetuâ lætitiâ. Datum Goudæ, Ipſis Kalendis Martijs, A° cIↃ. IↃ C. XVIII.

Cic. in Somn. Scip.

Lecto-

# Lectori Benevolo S.

*TRes anni ſunt, benevole Lector, quòd Poëmata mea publici juris fecerim, in guſtum ſcilicet, & periculi faciendi cauſa, qui tuus in me meaque eſſet animus: Ea quia tum temporis doctis quibuſdam non diſplicuêre, & à te obvijs, quod dicitur, ulnis excepta ſunt, etiam hæc Emblemata, extemporali curâ effuſa, & jam tū apud me parata, è fidis Silentij caſtris erumpere paſſus ſum. Quia (ut inquit ille) Spes alitur exemplis, & placiturum confidimus, quod alijs placuiſſe gaudemus.* Symmachus in Epiſt. *De illis autem (ſicut de alijs) ſeriò rogo & obteſtor, uti amicè, non rigidè cenſeas; ut quam benevolentiam antehàc expertus ſum, eandem etiamnum in te ſentiam. Etenim, ut verum confitear, voluimus hîc aliquid, ſed impari cum alijs, queis corculis eſſe datum eſt, ſucceſſu. Sufficit nobis, ſi ſolam invidiam deprecemur, quam quidem eò mihi æquiorem futuram ſpero, quòd infirmum & informem hunc fœtum, non ſapientior ætas, ſed adoleſcentia enixa ſit, & quidem ea, quæ propter alias curas, in hâc ſolâ curâ eſſe non potuerit. Hoc Lector ſi cognoſcis, ignoſce, ſi ea vitia non effugerim, quibus utplurimum tales affines ſumus. Sin minus, me tamen conſolabor, omnium bonarum rerum conatum in laude, effectum in caſu eſſe.*

Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas, Ovid.
Hâc ego contentos auguror eſſe Deos.

*Vltimum reſtat quod te precer, aut potius deprecer, ne ſcilicet*

*mireris*

*mireris ſententias quaſdam Græcorum, Latinè hîc à me eſſe expreſſas. Cum enim Typographus noſter defectu illarum litterarum laboraret, mihique non aliud tempus ad corrigendum opus, quàm hoc dierum Canicularium Iuſtitium ſuppeteret, commodè illæ exſpectari non potuerunt. Verba autem auctorum Græca, ſiquis noſtris Latinis non contentus, fortè deſiderabit, ex ipſis, quorum loca fideliter & ex lege deſignamus, petat. Aliorū verò ſententias, quas hîc in morem Centonis contex imus, diſcriminibus verborum, aut litterarū figurâ diſparare noluimus, ad minorem nimirum Typographi moleſtiam, & ut (quod mihi placebat) uniformis eſſet Scriptura. Vnicuique autem quod debeo, ingenuè addito è regione nomine, acceptum fero. Tu Lector have, & ſi merui, fave.*

In com-

# In commendationem Emblematum FLORENTII SCHOONHOVII, I.V.D. & Poëtæ eximij.

*VIdimus Alciati benè doctum Emblema, nec illi*
*Edidit aut ſimile, aut doctius alter opus;*
*Hunc tamen ad vivum, Schoonhovius indolis altæ,*
*Exprimit; huic primo, jure ſecundus erit.*
*Sive quis inventum ſpectet, quis ſive Poëſin,*
*Seu videat proſâ planius omne datum:*
*Quis non tam varias ſimul uno in pectore dotes*
*Suſpiciat? quis non credat ineſſe Deum?*
*Quod dedit Alciatus Minoë interprete, ſolus*
*Schoonhovius vates hoc ſimul omne dedit.*
*Hunc igitur docti, quibus ex meliore metallo*
*Finxit Apollineus pectora dia calor,*
*Hunc avidâ verſate manu: legiſſe juvabit;*
*Vtile nam dulci miſcuit omne ſimul.*
*Philologus, vates Themidis, Phœbique ſacerdos,*
*Omne tulit punctum, & commoda multa feret.*


Gerardus Traudenius.


SAPERE AVDE
Florentius Schoonhovius I.C. Goudanus. Ætatis ſuæ XXXIV
Quem ſibi ſancta Themis teneris ſacravit ab annis,
Inq; ſuum pariter Muſa vocavit opus,
Schoonhovius ſic ora gerit; Iuvenilis imago est,
Mens tamen interius nil iuvenile ſapit.
Gerardus Traudenius.

# FLORENTII SCHOON-HOVII EMBLEMATA.

## Noſce te ipſum.

*EMBLEMA I.*



*Ne meritum prælustre tuum, Digniſsima mundi*
*Pars Homo, ſervili conditione premas;*
*In te tota patet cœlorum atque orbis imago,*
*Hinc decus, hinc dotes noſcere diſce tuas.*

# COMMENTARIVS.

OMnis hominum vis ac præſtantia in Animo & corpore ſita eſt: Vtrumque autem habent egregium, niſi quod aliud alio ſit præſtantius. Hoc luſtremus, atque in eo nos illuſtremus: Corpus quod attinet; videmus illud eis à Naturâ datum ſublime, & quum cæteras animantes pronas, ventriq́ue obedientes, ad paſtum abjeciſſet; ſolum Hominem ad cœlum, quaſi cognationis domicilijq; priſtini conſpectum, erexit. Hinc Poëtarum ingenioſiſſimus,

*Pronaq́; cum ſpectent animalia cætera terras,*
*Os homini ſublime dedit, cœlumq́; tueri*
*Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.*

Altius ſi indagemur; omnia, quæ mundus, eum habere comperiemus; quatuor ſcilicet Elementa; Spiritum aëreum, Cor igneum, Corpus terreum, & os aqueum. Præterea capitis quoddam cœlum, & in eo ſcintillantes oculos, ipſam formam rotundam cum brachia & pedes expandit, à quorum extremitatibus ſi lineam ducamus, rem habebimus autorem. Quibus rationibus moti philoſophi Μικρόκοσμον illũ appellarunt. Teſtatur id Macrobius in Somnio Scipionis: Phyſici mundũ magnum hominem dixerunt, & Hominẽ brevem mundũ. Rectè; quia ut ille à Deo regitur, ſic Homo ab Animo, alterâ illâ ſui parte, immò toto; Cicero in ſomn. Nec enim nos ij ſumus quos forma iſta declarat, ſed mens cujuſque, is eſt quiſque. Quare Socrates cum decorum adoleſcentem conſpicaretur: Vt te videam, inquit, aliquid loquere. Etenim arbitrabatur hominem non oculorum, ſed mentis acie, & animi obtutu eſſe conſiderandum. Ab hoc illud cœleſte animal ſumus quod divinæ in terris Providentiæ quandam quaſi repræſentat imaginem; ſagaces, multiplices, acuti, memores, pleni rationis & conſilij, denique præclarâ quâdam conditione generati, nimirum ut cæteris animalibus imperemus:

Ovid. in Metamorp.

*Sanctius his Animal, mentiſq́; capacius altæ*
*Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet*
*Natus homo eſt, ſive hunc divino ſemine fecit*
*Ille opifex rerum, mundi melioris origo; &c.*

Divino ſemine inquit Poëta non poëticè; Anima enim rationalis ex ipſo æternitatis gremio decerpta eſt, ab illo tradux, di-

vinitatis

vinitatis originem initiumque accepit, ex hoc orta huic ſimilis eſt. Quid ei clauſum, quid invium? in cœlum uſque penetrat; aſtrorum ortus, obitus curſuſque cognoſcit, dies, menſes, annos finit, defectiones Solis & Lunæ, & ſcit & prædicit in omne poſterum tempus, quæ, quantum, quando futuræ ſint. Suo denique ingenio in rerum Naturâ, alteram quaſi naturam efficere conatur.

*Quis dubitet poſthæc Hominem conjungere Cœlo,* Manil. 2. lib.
*Eximiam Natura dedit linguamque, capaxque*
*Ingenium, volucremque Animum, quem denique in unum*
*Deſcendit Deus, atque habitat, ipſumque requirit.*

Cum itaque, ô Homo audaciſſimæ Naturæ artificium, tot tantæque tibi ſint dotes, eas cognoſce, & attollere, ne tanquam fungus in illuſtri hâc mundi machinâ ſedeas, & cucurbitas pingas, excute corporearum cupiditatum cœnum, rumpe clavos quibus te, terrenas habitans Libido mentes, terræ affigere ſtudet, ne pejus tibi velle videaris quàm ipſa Natura voluit.

*Hæc, niſi terrenus malè deſipis, admonet figura* Boëtius.
*Qui recto cœlum vultu petis, exeriſque frontem;*
*In ſublime feras Animam quoque, ne gravata peſſum*
*Inferior ſidat mens corpore celſius levato.*

# Sapiens ſuprà Fortunam.

## *EMBLEMA II.*



*En quæ jura ſolet per Vniverſum*
*Cunctis dicere Sors; hîc illigatur:*
*Nimirum ſapientiâ recoctus*
*Extrà ſe nihil expetens bonorum*
*Sortem ſub pedibus premit ſuperbam.*

### COMMENTARIVS.

IN nemine Deorum Dearumve tam prodiga ingeniorum fuit Antiquitas, quàm in Fortunâ, ut quæ ſola utramque paginam facere (vel teſte Plinio) in ratione mortalium fuit credita. Hinc tot ejus cognomina, tot eam precibus ambiunt, quos elegantiſſimè Horatius noſter Lib. I. Ode xxxv. Deſcri-

Deſcripſit. Enimverò cœci homines res mortalium nullo ordine, nullo alio rectore, quàm Fortunâ, fluitare exiſtimabant. Divinos itaque ei tribuebant honores, litabant, cœlo denique eam collocabant: Teſtis Iuvenalis Satyra x.

*Nullum Numen abeſt ſi ſit prudentia, ſed te*
*Nos facimus Fortuna Deam, Cœloque locamus.*

Et idem alio loco.

*Si Fortuna volet, fies de Rethore Conſul,*
*Si volet hæc eadem fies de Conſule Rethor.*

Hæc ille Ethnicus Poëta ethnicè de Fortuna. Pudet autem maximo cum Chriſtianorum dedecore confiteri, tot etiamnum eſſe, qui non Deum Fortunæ rectorem, ſed ipſam Fortunam propriâ ſuâ lege meantem agnoſcunt, qui huic ſecunda & adverſa ſua accepta referunt. Pendent miſeri ab eâ, nunc magni ſunt, nunc puſilli, nunc elati, nunc ſupplices, ut cumque ſe mutarit Rhamnuſia; non ſecus ac conchilia creſcente Lunâ augeſcunt, decreſcente decreſcunt. Contrà verò Sapiens, pediſſequus ille ac imitator Dei, quem hîc in Scenam producimus; hâc Deâ altior & ſublimior ſtat; utpote ſemetipſo, & ex ſe naſcentibus bonis contentus; hoc eſt ijs, quæ caſu non dantur, quale bonũ eſt Virtus: Nam qui alia bona judicat venit in Fortunæ poteſtatem, alieni arbitrij fit. Porrò in unoquoque Sapiente Seneca.

*Quis Deus incertum eſt, habitat Deus.*

Ille dat conſilia magnifica & erecta, ille dat animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quicquid timemus optamuſque ridentem. Quem elegantiſſimè ſuis coloribus depinxit Horatius. Seneca.

*Quiſnam igitur liber? Sapiens, ſibi qui imperioſus,* Lib. 2. Sat. 7
*Quem non pauperies, neque mors, neque vincula terrent,*
*Reſponſare cupidinibus, contemnere honores*
*Fortis, & in ſeipſo totus teres, atque rotundus,*
*Externi nequid valeat per læve morari,*
*In quem manca ruit ſemper Fortuna.*

O quàm magna quàm paucis? Examinemus & caput Sapientiæ in iſtis habebimus. Liberum itaque Sapientem eſſe ſic pro me probat Cicero in Paradoxis. Quid eſt Libertas? poteſtas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult? qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via conſiderata atque proviſa eſt, qui Sapiens liber.

legibus quidem non propter metum paret, ſed eas ſequitur atque colit, quòd id ſalutare maximè eſſe judicet. Soli autem id contingit Sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Confitendum itaque eſt niſi qui ita ſit affectus eſſe liberum neminem. Sibi imperat Sapiens, quia nō attollitur proſperis nec mergitur infœlicibus. Teſtis ille à Porticu Sapiens, clamans altum & intonans: Ego ſolus rex ſum, ſolus dives: & interim conſpicitur ad alienas fores muſſitans;

Sibi imperans.

*Da tegmen Hipponacti, namque frigeo*
*Totuſque contremiſco.*

Nec morti cedens.

Nec morti nec vinculis Sapientem cedere; videre eſt in innocentiſſimo Socrate, cujus animum triginta Tyranni circumſiſtentes infringere non potuerunt. Quemadmodum enim nihil incommodi adfert nimbus in mare decidens, utque grando illiſa tectis magno quidem fragore, verùm nullâ noxâ deſultat, ſic inanis ille terror mortis nihil in Sapientem poteſt. Ad omnem incurſum invictus & interritus eſt, non ſi paupertas, non ſi luctus, ignominia aut dolor impetus faciant, pedem referet, ſecurus contrà illa ibit, plenus gaudio domeſtico. Verè Boëtius Lib. I. Metro. IIII.

*Quiſquis compoſito ſerenus ævo*
*Fatum ſub pedibus dedit ſuperbum*
*Fortunamque tuens utramque rectus*
*Invictum potuit tenere vultum,*
*Non illum rabies, minæve ponti*
*Verſum funditus excitantis æſtum,*
*Nec ruptis quoties vagus caminis*
*Torquet fumificos Veſevus ignes,*
*Aut celſas ſoliti ferire turres*
*Ardentis via fulminis movebit.*
*Quid tantum miſeri feros Tyrannos*
*Mirantur ſine viribus furentes?*
*Nec ſperes aliquid, nec extimeſcas;*
*Exarmaveris impotentis iram.*

Seneca Epiſt. 59.

En tibi duo rivuli ex turbidiſſimo Affectuum fonte deducti; nimirum Spes & Timor, qui etiam in Sapientis animum non influunt, utpote in quo nil niſi tranquillitas, non ſecus ac ſtatus mundi ſuper Lunam.

*Perpe-*

*Perpetuum nullâ temeratum nube ſerenum.*

Nam illa mundi pars ſuperior & ordinatior, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur. Eodem modo ſublimis ille animus, quietus ſemper & in ſtatione tranquillâ collocatus, modeſtus venerabilis & compoſitus eſt. Venio ad Honores: quos quàm facile ſit Sapienti contemnere teſtatus eſt Diogenes, qui maluit in dolio ſuo volutari quàm Alexander eſſe: Scivit ſcilicet; Honores cōtemnens.

*Regnum & Diadema tutum*

ſolam deferre virtutem;

*Quam tamen invitam blandè veſtigat, & ultrò* Claud.
*Ambit honos, docuit toties à rure profectus*
*Lictor, & in medijs Conſul quæſitus aratris.*

Denique (quod fons eſt Emblematis) Sapientem eſſe totum ex ſe aptum, ex ſe pendentem, & ſuprà Fortunam; paucis pro me docebit Epictetus: Sicut Iuppiter ſecum eſt atque agit, & in ſe acquieſcit, fruiturque cogitationibus ſe dignis: Sic & Sapiens ſibi ipſe ſufficit & ſecum eſſe poteſt, fruiturque puriore illâ & ſublimiore meditatione; quâ fœlicitate (ſecundum Senecam) nulla Deo eſt propior. Porrò cum vera magnanimitas atque libertas duabus potiſſimum rebus conſtet; in contemnendis cum proſperis tum adverſis; quis hoc melius poteſt quàm Sapiens? qui totum Fortunæ regnum deſpicit, & animosè cum Horatio exclamat; Fortunam Ex ſe pendens.

*Laudo manentem, ſi celeres quatit*
*Pennas; reſigno quæ dedit, & meâ*
*Virtute me involvo, probamque*
*Pauperiem ſine dote quæro.*

Habeamus aquam & polentam, & Iovi ipſi de fœlicitate moveamus controverſiam. Age nunc Seneca.

*Sæviat atque novos moveat Fortuna tumultus,*
*Quantum hinc imminuet?*

O muros quos conſtruendos in animi noſtri ſenſibus monebat Antiſthenes nullâ vi expugnabiles. Quàm alta hîc (ſine quâ nihil dulce) ſecuritas? Quantus hîc tollendus riſus, quantâ voluptate implendus animus ex hâc ſublimi, & tutâ arce contemplantium aliorum errores, ſuam autem quietem.

*Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas* Lucret.

*Sed*

*Sed quibus ipſe malis careas quia cernere ſuave eſt.*

Hi planè juxtà Græcorum proverbium

*ἀπὸ πύργου κρίνουσιν ἀχάιους.*

Ipſi ſtantes in littore navigantis artem & diſcrimen ſpectant otioſi. Exſurgamus, exſurgamus & nos aliquando ex hâc fece, ut evadamus in illud ſublime & excelſum, ubi tranquillitas nos manet, & expulſis terroribus vera Libertas. Certè

Seneca.

*Nil dulcius eſt, benè quàm munita tenere*
*Edita doctrinâ Sapientum templa ſerenâ,*
*Deſpicere unde queas alios, paſſimq; videre*
*Certare ingenio, contendere Nobilitate,*
*Noctes atque dies niti præſtante labore*
*Ad ſummas emergere opes, rerumque potiri.*

Lucret. lib. 1.

Altum

# Altum ſapere periculoſum.

## *EMBLEMA III.*



*Icarus & Phaëton nimium dum magna capeſſunt*
*Occidit hic flammis, ille peremptus aquis:*
*Mens infirma hominum cœli perrumpere clauſtra*
*Cum ſtudet; in tenebras præcipitata ruit.*

## COMMENTARIVS.

NOta eſt omnibus Phaëtontis & Icari fabula, quæ in eos potiſſimum à Poëtis prudentum primis excogitata eſt; qui inſanientis ſapientiæ conſulti περιεργάζονται ζητῶντες τά τε ὑπὸ γῆν καὶ τὰ ἐπουράνια; Satagunt inquirentes & quæ terram infrà, & quæ cœlũ ſuprà ſunt, Res certè quam nec

ſcire datum, nec ſcitari permiſſum, nec ſcrutari relligioſum. Cum enim Deus regnum ſuum, ſeque ſine arbitris regat; ſanctius & reverentius eſt de eo credere, quàm ſcire, mirari, quàm rimari. Plura de hoc

*Scire neſas homini.*

Tangere vis cœleſtes illos ignes? cum Icaro liqueſces. Scandere in Providentiæ arcem? cum Phaëtonte temerario cades. Vna & quidem maximè laudabilis audacia hîc, nihil audere, unum acumen, nihil cernere, una ſcientia, nihil ſcire. Quia,

Horat. *Prudens futuri temporis exitum*
*Caliginoſâ nocte premit Deus,*
*Ridetque ſi mortalis ultrà*
*Fas trepidet.*

Quid itaque animum æternis conſilijs minorem fatigamus? Quid nos homulli, nos terra, pulvis, ſomnium, immò ſomnij fugacis umbra, anguſto ſinu illum claudere volumus, quem nec cœlum ipſum? quid cœleſtia ejus decreta capere, quos nunquam cœpit cœleſtis Curia? Tamen

——— *Nos pravum, & debile vulgus*
*Scrutamur penitus Superos, hinc pallor, & iræ,*
*Hinc ſcelus, inſidiæque, & nulla modeſtia voti.*

Nos ij ſumus qui ſecreta Cœli inquirere ſudamus, qui curioſâ mente mentis æternæ receſſus tentamus, & in ipſa ipſius Decreta irrumpimus. Nos de divinâ Prædeſtinatione, de Libero Arbitrio, de Lapſu primorum parentum, alijſque, quæ otioſæ mentes ſemper quærunt, & nunquam inveniunt, diſputare audemus, ſimplicemque Scripturam quæſtionum ambagibus implicamus; cum tamen Veritas hæreat ſub ictu, immò amittatur nimium altercando.

Prudētius. *Idcircò mundi ſtulta delegit Deus*
*Vt concidant Sophiſtica.*

In his ſi quis ſeorſim à ſenſu noſtro ſenſerit; in eum ſtatim arietamus, crimenque ducitur luſtralibus febriuis expiandũ. Pro his,

Lucan. *Bella geri placeat nullos habitura triumphos.*

Peſtis certè & hujus, & jam olim plurium Rerumpublicarum, nec facilè excutienda ſi aut ipſa potens, aut obſedit potentes. Nonne hodie hanc ob cauſam, provinciam provinciæ, civem civi infeſtum videmus? nonne hoc

*Pro-*

*Procudit enſes,* Horat.

*Et ſocias inimicat urbes?*

Accedunt concionales tubæ, quæ undique gladiatorio animo claſſicum canunt, quæque pax deberent eſſe mundo, fax ſunt, & πῦρ ἐπὶ πῦρ addunt, quum tamen omnis modeſtia atque moderatio eas deceat, quam ſi non habeant; ſumerent ſaltem ſibi hoc tempore mutuam.

Sed fruſtrà eſt hæc querela; quiſque regnum ſibi vi, atque factionibus munit; hinc caſtra ex unâ parte contraria, & parentum liberorumque ſacramenta diverſa:

*Diditur incertum ſtudia in contraria vulgus.*

Verè incertum; quia, non aliter quàm pecorum ritu, ſequitur antecedentium gregem, pergens non quà eundum, ſed quà itur, nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem componitur. Libertas quidem, & ſpecioſa nomina prætexuntur; ſed ut imperium evertant, libertatem præferunt, ſi everterint, ipſam aggredientur. Sub hoc mantili & everriculo multarum fraudum, fervida ingenia violentiam naturæ, & profundam ambitionem velare ſtudent. Relligio paſſim in ore, improbitas in corde, cui niſi frena maturè injiciantur, & veteres artes, per quas Batavum nomen, & illius crevêre vires; revocentur; ita in nervum erumpet, ut non niſi Vi Majore ejus motus componendi ſint. Quod ſi fit, conclamatum eſt, & exequias Belgicæ quibus commodum eſt ite. Non deſunt nobis exempla iſtarum quas patimur cladium, ſed ipſi nobis. Nonne Græcia, &, quod recentius, Flandria, hâc immodicâ libertate & licentiâ concionum perijt? Nonne ſpecioſi hi religionis prætextus, Seneca de vita beata. Taci. 4. Annal. Idẽ 16. Annal.

*Altis urbibus ultimæ*

*Stetêre cauſæ cur perirent*

*Funditus, imprimeretq́; muris*

*Hoſtile aratrum exercitus inſolens?*

Certè nimis quàm verum. Sed quid? Ita ſe res habet, ut plerumque qui Fortunam mutaturus eſt Deus, conſilia corrumpat. Iam rebus omnibus florentiſſimi, Regibus, Principibus, Rebus publicis ſuſpiciendi, immò (dicere hoc liceat) adorandi; noſmet ipſos perdere, & in noſtra viſcera victricem dextram convertere ſtudemus: palàm alioqui beati, niſi unum hoc deſit, animus qui modeſtè iſtæc ferat. At vix eſt ut queamus; opes enim Vell. Paterc. lib. 2.

divitiæ nimiaque fœlicitas afflixêre ſæculi noſtri mores: hinc illæ lachrymæ, hæc una fundi noſtri calamitas. Philoſophus quidam interrogatus, quidnam eſſet Fortuna? reſpondit; Malus medicus; pleroſque enim quos curat cœcos facit. In nobis id verum, quibus hoſtis in latere, & tantum non ad portas Hannibal, & tamen dulci fortunâ ebrij litigamus, Syracuſæ noſtræ capiuntur, & nos in pulvere pingimus, ſperantes amoto metu, & intereà oſcitantes opprimendi. At quantò ſatius erat, id operam dare, ut ſapientiam cum modo habentes Conſilia quibus impares ſumus fato permittamus, &, peſtilente hâc fruge in herbâ oppreſſâ, tutam rebus adſtruamus ſecuritatem. Animos commune periculum jungat, ſimultas poſt ſit: Ne tum denique noſtra intelligamus bona, cum quæ in poteſtate habuimus ea amiſerimus. Serum eſt mortuâ re verba facere, Optimum autem alienâ inſaniâ frui.

Plautus.

At vos;

*Seu calidus ſanguis, ſeu rerum inſcitia vexat*
*Indomitâ cervice feros, ubicunque locorum*
*Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus.*

Nos qui nihil præter vota in commune conferre poſſumus, Deum intimè precamur, ut pura ſimplexque Relligio in patriâ noſtrâ reſtauretur, ut nova commenta, & cœtera ludificandis animis per otium callidè excogitata, aboleantur, tandemque, ſublatâ ſciſſurâ, pax in domo ejus, in Conſcientijs quies, ſecuritas in Republicâ conſtituatur.

In

# In publico malo fœlices.

*EMBLEMA IV.*



*In ſua victrici dum ſævit viſcera ferro*
*Patria, & innocuo terra cruore rubet;*
*Vultur adeſt ſubitò, defuncta cadavera paſcens,*
*Quodque alijs damno eſt, hinc ſibi lucra petit:*
*Graſſari quò tuta queat ad munia opeſque*
*Civica depoſcit prælia ſeditio.*

## COMMENTARIVS.

ARiſtophanes in Equitibus ait;
*Feciſti ut is qui captat anguillas facit;*
*Quieta quum ſunt ſtagna venatur nihil,*

*Sed cœnum ubi omne illac & hac ſubverterit*
*Captura magna eſt; Tu quoque ubi perturbaveris*
*Hinc Civitatem & inde; plurimum capis.*

Similitudo mehercules optimè quadrans in ſeditioſos, qui honores quos quietâ republicâ deſperant; perturbatâ ſe conſequi poſſe arbitrantur. Itaque miſcent omnia ſurſum & deorſum, certi ſuis conatibus oportuniſſimos eſſe illos tranſitus rerum. His ducibus comites ſeſe adjungunt ij qui ex conſcientiâ ſcelerum nihil ſpei ſibi reliquum fecerunt, niſi in ſummâ rerum omnium deſperatione: hi privata vulnera Reipublicæ malis operire ſtatuunt. Prætereà obærati, quibus afflicta fides in pace, qui rebus turbatis alacres, & per incerta tutiſſimi ſunt. Hinc apud Suetonium Iulius Cæſar inquit; ijs quos gravior criminũ, inopiæ, luxuriæve vis urgeret; bello civili opus eſſe. Quemadmodum enim pulegium ipſo brumæ tempore floret, quum marcent omnia: ita mali, quorum in pace nullus eſt reſpectus, rebus peſſimè vexatis regnum tenent. Sed id pro tempore ſaltem; parum enim diuturna eſt fœlicitas quæ his fundamẽtis innititur. Et rarò magna illa Reipublicæ moles convelli ſine exitio convellentium poteſt. Qui igne immiſſo ſylvam incenderit, non poteſt eventum reliquum arbitrio ſuo moderari, ſed ignis quocunque impetus fert, pabulum quærit, & in ipſum incendij auctorem ſæpe ruit: haud aliter qui malo conſilio patriam inteſtinis bellis incendit; cum illâ conflagrante conflagrat, pereunte perit, & æquales cum victis victoris conditiones accipit.

Cic. 2. in Cat.

Nihil

# Nihil ignavis votis.

## EMBLEMA V.



*Rebus in humanis noſtrum ſolamen opemque*
*Nil juvat ignavâ ſollicitare prece;*
*Audentes Fortuna juvo: conamina veſtra*
*Iungite, & hoc noſtrum præſto erit auxilium.*

## COMMENTARIVS.

PRoverbio celebratum eſt apud Lacedæmonios; Admotâ manu Fortunam eſſe invocandam: Quo ſignificabant ſic eſſe invocandos Deos ut ſimul & manum apponamus, & noſtram addamus operam, alioqui fruſtrà invocari. Non enim votis neque ſupplicationibus muliebribus auxilia Deorum parantur, ſed vigilando, agendo, bene conſulendo omnia Salluſt. proſ-

proſperè cedunt. Vbi ſocordiæ atque ignaviæ te tradideris nequicquam Deos imploras, irati infeſtique ſunt. Gubernator videns inſurgere tempeſtatem Deorum auxilium petit; nihilo ſegnius interim clavum moderans & antennam detrahens. Miles, invocatâ ope Divinâ, armatur, Arator ab Heſiodo jubetur Dijs ſacrificare deinde aggredi. Nec Ægyptius colonus ſolo Nili fretus flumine ſemen ſuum ſpargit, niſi prius aratro bovem junxerit, ſulcum duxerit, multũ laborarit. Tum demum flumen vocat, opus ſuum illi commendat: Ita fluvius miſcetur cum labore agricolæ, cum labore ſpes, cum moleſtia fructus. Quòd ſi autem omnia nobis quæ ad victum cultumque pertinent, quaſi virgulâ Divinâ (ut ajunt) ſuppeditarentur, tum optimo quiſque jure ſe negotijs omnibus omiſſis otio daret. Sed

Max. Tyrius.

Cicero in Offic.

Horat.

*——— Nil ſine magno*
*Vita labore dedit mortalibus,*

Et

Ovid. in Metam.

*—— Ignavis precibus fortuna repugnat.*

Manil. Aſtr. Lib. 4.

*Pro pretio labor eſt, nec ſunt immunia tanta,*
*At niſi perfoſſis fugiet te montibus aurum,*
*Impendendus homo eſt Deus eſſe ut poſſit in ipſo.*

Xenophon.

Quæcunque bona ſunt ac præclara, eorum, nihil ſine labore ac ſtudio Dij hominibus largiti ſunt. Siqua fœlicitas inter eos eſt non ſine ijs exiſtit, ſed eam ad exitum perducet aut hodie, aut poſteà Deus. Ait alicubi Heſiodus:

Pindar. Pyth. Ode 12.

*Agmine cum multo facilis ſe ignavia cuivis*
*Offert, plana via eſt, aditus levis ejus ad ædes:*
*At virtutis iter ſudore Dij obvallarunt,*
*Longa quidem pariter, viaque ardua ducit ad ipſam,*
*Aſperitate graves aditus quæ fronte recludit*
*Primâ: ſed levis eſt ſuperato vertice tandem.*

Si itaque delectant præmia quæ promittuntur, ne deterreant certamina quæ jubentur. Nam (ut Plautus inquit)

*Qui è nuce nucleum vult, frangat nucem.*

Claud. in Epithal. Honorij.

*Non quiſquam fruitur Veris odoribus*
*Hyblæis latebris nec ſpoliat favos*
*Si fronti caveat ſi timeat rubos:*

*Armat*

*Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.*

Si Doctrinam amas, dormienti tibi eam Dij non conficient, non enim latâ (ut ait Propertius) viâ ad eam currere datur. Nec fruſtrà Muſas Antiqui in arduo atque edito monte habitare dixerunt; Laborem enim, ſudorem, & vigilias in earum atrio excubare voluit Deus; hæ earum matres ſunt, negligentia autem ijs noverca eſt. Si Mercuriales artes, hoc eſt mercaturam, exercere tibi animus eſt, nequicquam tibi ignavo faculam lucrificam allucebit Fortuna. Plaut. in Perſa.

*Nimis homo nihili eſt, qui piger eſt,* Idem in Rudente.
*Vigilare decet hominem qui vult ſua tempori conficere officia.*

Denique ſi bello inclareſcere ſtudes, quernamque coronam mereri; non ex plano & facili hæc gloria petitur, nec ſegnibus animis ſibique indormientibus ad eam aſpiratur:

*Non flantibus auſtris,* Claud. de 4. Hon. Coſ.
*Neu pluvijs cedes.*
*Inventis utêre cibis, ſolabere partes*
*Æquali ſudore tuas. Si collis iniquus;*
*Primus ini, Sylvam ſi cædere provocat uſus;*
*Ne pudeat ſumptâ quercum ſtraviſſe bipenni,*
*Calcatur ſi pigra palus, tuis ante profundum*
*Prætentet ſonipes, fluvios tu protere curru*
*Hærentes glacie, liquidos tu ſcinde natatu.*
*Nunc eques in medias equitum te conſere turmas,*
*Nunc pedes aſſiſtas pediti, tum promptius ibunt*
*Te ſocio: tum conſpicuus gratuſque geretur*
*Sub te teſte labor.*
*Cogit* (ſcilicet) *tantos tolerare labores* Lucan. lib. 9 bel. Civ.
*Summa ducis virtus, qui nudâ fuſus arenâ*
*Excubat, atque omni Fortunam provocat horâ.*

Sunt tamen quidam hoc aſtro, ut ijs ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta Fortuna videatur, quibus venti, tempeſtateſque obſecundant: homines ſcilicet majore Fortunâ quàm Sapientiâ; quæ quia deeſt, ad temeritatem ſæpius invitantur, cum pravo conſilio illa propitia arridet, quæ ita prodeſſe nonnunquam vult, ut vehementius noceat. Itaque Cæſareum illud probemus; Virtute duce, comite Fortunâ. Cicero.

# In Ambitioſos.

## EMBLEMA VI.



*Ecce viatores adverſo, Sole nitente,*
*Tramite qui peragrant perficiuntq́; vias,*
*Hic ſequitur, fugit ille ſuam quàm ſedulus umbram*
*Qui ſequitur, fugit hunc, qui fugit, hunc ſequitur.*
*Gloria ſic humiles amplectitur, at ſibi quiſquis*
*Hanc nimiâ poſcit ambitione; fugit.*

## COMMENTARIVS.

NOn abs re quidam Ixionis fabulam adverſus inanis gloriæ ſectatores excogitatam eſſe exiſtimant: nam ut ille, pro Iunone, cum nubeculâ concubuiſſe, atque ita Cen-

Centauros aliaque monſtra procreaſſe fertur; ſic hi gloriam, veluti quandam Virtutis umbram, amplexi; nihil ſincerum aut laude conſtanti dignum, ſed adulterina pleraque edunt: homines ſcilicet ineptiſſimi, quorum ambitio

*— Veſtibulis, foribuſque potentum*
*Excubat, & pretijs commercia poſcit honorum,*

Quorum vota per fas nefaſque ad faſces & ſecures quàm improbiſſimè feſtinant, quæ quidem, jam adeptæ, gratæ non ſunt, ſi aliquid majus reſtet, ultrà quod ſe avara cupiditas porrigat, quæ non quos vincat, ſed à quibus vincatur aſpicit, cuique non tam jucundum eſt multos videre poſt ſe, quàm grave aliquem ante ſe. Vnde uſu venit, ut illos vera conſtanſque gloria, tanquam turpiſſimos ſui lenones deſerat, aut immoderatus ardor peſſum dejiciat; majores alioqui futuros, ſi minores eſſe voluiſſent. Teſtes mearum ſententiarum ambo Gracchi, infœlix par fratrum; qui ſi civilem dignitatis concupiſſent modum; quicquid per tumultum, ac ſeditionem, adipiſci conabantur; quietis reſpublica obtuliſſet. Etenim ambitioſis hiſce ingenijs, alioqui ad imperia gerenda non ineptis, quòd æqualibus gloriæ cauſa inviderent, eoſque de ſtatu ſuo dimovere conarentur, id non exiguo in rebus præclarè gerendis impedimento fuit; eos enim virtutis ſuæ adverſarios reddiderunt, quibus adjutoribus uti potuiſſent. Prætereà id hominibus ingenium eſt, ut qui improbè eniti, & ad honores graſſari conantur; eos deprimant; contrà, qui nihil ſibi vindicant, & infrà aliorum æſtimationes ſeſe metiuntur; omnia adſequantur. Atque hæc de apertâ ambitione: reſtat ut dicamus de tacitâ, quæ ideò periculoſior, quia occultius, & per majores cuniculos fallit. Hæc eſt, quæ, quemadmodum remiges, puppim intuentes, proram tamen ulterius promovent & impellunt; ſic fugere videtur, quod perſequitur, vituperare, quod quàm maximè laudat, non ſecus ac Philoxenus naſi muccum in catinū emungere ſolitus fuit, quò, reliquis convivis deterritis, ipſe ſolus cibis appoſitis frueretur. Intereà autem hæc intimè apud ſeſe precatur;

*——— ——— Pulchra Laverna* Horat.
*Da mihi fallere, da juſtum, ſanctumque videri;*
*Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.*

Cæterum gloria ne ab ijs quidem, qui contemptum ejus intro- Val. Maximus.

 ducere

ducere conantur; negligitur; quoniam quidem ipſis voluminibus nomina ſua diligenter adjiciunt, ut quod profeſſione elevant, uſurpatione memoriæ conſequantur. Quam vanitatem omnium Philoſophorum diviniſſimus Socrates quàm optimè deriſit: Cum enim Antiſthenes Cynicus pallium haberet pertuſum, idque obvertens fiſſuram omnibus daret inſpiciendam; Per fiſſuram, inquit, pallij tui video tuam inanitatẽ. Adeò nihil ſimulatio proficit, paucis imponit leviter extrinſecus inducta facies, veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt. Tenue eſt mendacium, perlucet ſi diligenter inſpexeris. Porrò nulli non Virtus & vivo & mortuo retulit gratiam, ſi modò illam bonâ fide ſecutus eſt, ſi ſe non exornavit & pinxit, ſed idem fuit ſive ex denunciato videbatur, ſive imparatus ac ſubitò. Exemplum dabit M. Cato homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio Dijs quàm hominibus propior; qui nunquam rectè fecit ut facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat, qui omnibus humanis vitijs immunis ſemper Fortunam in ſuâ poteſtate habuit, quæ ipſum in Præturâ poſtponens Strumæ Vatinio, optimè ab ipſo deriſa eſt; non enim Cato repulſam tulit, ſed ipſa dignitas eam paſſa eſt; Non ſecus ac Anaxagoras ab Athenienſibus exilio mulctatus, nõ privabatur Athenis, ſed illæ illo. Roma Vejis erat quâ tempeſtate maximus ille patriæ liberator Camillus exulabat pulſus ab ingratâ urbe. Quicunque Rempub. ſalvam volunt ſunt cives Romani.

Seneca.

Vell. Paterc.

Ennius.

*Qui rectè conſulat, conſul fuat.*

*Hoſtem qui feriet mihi erit Carthaginienſis.*

Horat.

*Virtus repulſæ neſcia ſordidæ, in-*
*contaminatis fulget honoribus,*
*Nec ſumit aut ponit ſecures*
*Arbitrio popularis auræ.*

Enimverò non purpurâ aut aureis virgis, ſed utilitate publicâ adductus, Cato Præturam petijt, ut amicis propinquiſque, & omnibus civibus, omnibus deinde mortalibus paratior utiliorque eſſet propius poſitus: Idque laudabili morum ſuorum fiduciâ, quæ quia in animis bonorum de affectu ſimplici ſurgit, genus eſt virtutis. Nec certè caruit heroicus ille conatus, vel laude vel præmio, etiamſi ei non reſponderit eventus. Rectè enim facto-

factorum verus fructus eſt feciſſe, nec ullum virtutum pretium dignum illis, extrà ipſas eſt. Quod probè callebat idem Cato, cordatè affirmans, ſe malle ut homines querantur cur ipſi non eſſet poſita ſtatua, quàm cur ſtatuta eſſet quærant. Arcus enim & ſtatuas, aras etiam templaque demolitur ætas, obſcurat oblivio, negligit carpitque poſteritas; contrà contemptor ambitionis & infinitæ poteſtatis domitor ac frenator animus ipſâ vetuſtate floreſcit, nec ab ullis magis laudatur quàm quibus minimè neceſſe eſt. Magnum eſt non expetere quod mereris, immò majus quàm mereri. Pædaretus Lacon cũ in numerũ trecentorũ non eſſet allectus, vultu hilari ſurgens è Senatu diſceſſit, hoc dicto; Gratias vobis ago Dij immortales quòd urbi huic tam multos dederitis me meliores. Nimirum vir hic, meritorum ſuorum ſecurus interpres, patriæ ſuæ, vel ſe è Senatu excluſo, benè eſſe gaudebat, nec ob id virtus ei demptâ gloriâ amara fuit, quæ ſequi debet non appeti, nec, ſi caſu aliquo non ſequatur; idcirco quod gloriam meruit minus pulchrũ eſt. Socratis gemmâ hæc conſigno, qui dicebat expeditâ & compendiariâ viâ eos ad gloriam pervenire, qui id agerent, ut quales videri vellent, tales etiam eſſent: quâ quidem prædicatione apertè monebat, ut homines ipſam potiùs virtutem, quàm ipſius umbram conſectarentur.

Pl. in Paneg.

# Sat citò, ſi ſat benè.

## *EMBLEMA VII.*



*Vt orbium diverſus in contraria*
*Niſus, coërcet fervidum motum rotæ;*
*Sic & ſenectæ providens cunctatio;*
*Calidos juventæ frenat auſus, & regit.*
*Idcircò Princeps eligat ſibi ſenes*
*Ad conſulendum; Iuniores comparet*
*Ad exequendum juſſa Prudentum ſenum.*

### COMMENTARIVS.

HÆc duo boni Status fulcra ſunt; Conſilium & vis; Sed conjuncta; quia (ut teſtatur Cicero) nihil vis valet foris; niſi conſi-

conſilium ſit domi, nihil conſilium domi, niſi vis ſit foris. Conſilium, ſecundum omnes Politicos, à ſenibus, (quos, quia capite ſunt candido, ſapere oportet) petendū eſt; vis autē à juvenibus, Plaut. in Moſtell.

*Queis integer ævi* Virgil.

*Sanguis adeſt, ſolidæque ſuo ſtant robore vires.*

Fecerunt id Romani; qui ſemper Senes, quibus corpus annis infirmum, ingenium verò Sapientiâ validum erat; Reipublicæ clavo admovebant, eoſque, à curâ, Patres dicebant. Aſſerit Val. Maximus; Validior ætas imperium Romanum rexit, & duplicavit; ſenectus, excellentiſſimis ornamentis decorata, in altiſſimo majeſtatis faſtigio fulſit. Et Ovidius in faſtis;

*Magna fuit quondam capitis reverentia cani,* Lib. 5.
*Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.*
*Martis opus juvenes, animoſaque bella gerebant,*
*Et pro Dijs aderant in ſtatione ſuis.*
*Viribus illa minor, nec habendis utilis armis;*
*Conſilio Patriæ ſæpè ferebat opem.*
*Nec niſi poſt annos patuit tunc Curia ſeros,*
*Nomen & ætatis mite Senatus habet.*

Sciebant autem viri prudentiſſimi; Adoleſcentum animos plerumque parum providos, eoſque molles, & ætate fluxos, quique haud difficulter dolis capiantur;

*Iuvenilis ardor impetu primo furit;* Seneca in Octavia.
*Langueſcit idem ſubitò, nec durat diu.*

Contrà Senes cunctatores natura ſunt, quibus cauta conſilia, Tacitus. cum ratione magis, quàm fœlicia ex caſu placeant. His (quod olim aptiſſimè de ſe Mitridates profitebatur) Fortuna, multis Sall. in frag. rebus ereptis, uſum dedit benè ſuadendi. Horum ſenectus (ut Philto apud Comicum loquitur) Hiſtoriam veterem atque antiquam ſuſtinet. Iuvenes fidunt Fortunæ, tanquam cum eâ fidem ſtare oporteat, eorum calida ſunt conſilia, quæ quidem ſpecie læta, ſed tractatu dura, eventu aſpera ſunt. Prudenter Livius lib. 35. Plutarchus,

οὐ γάρ τι βουλῆς ταυτὸ καὶ δρόμου τέλος.

Curſus haud eſt finis idem & conſilij;

Quia nihil magni diſcriminis conſilijs tam inimicum, quàm præcipitantia. Callidi itaque, non calidi in conſilium adhibendi ſunt; qui,

Quicquid

Plaut. in Mil. Glor.

*Quicquid eſt incoctum, non promunt,*
*Bene coctum duunt;*

Qui quum cogitarint facere audent, & prius cogitare, quàm facere conſueverunt. Legimus ducem illum Græciæ Agamemnonem unum Neſtorem decem Aiaci ſimilibus prætuliſſe: Et quidem jure; quia unius viri Sapientis conſilio fruuntur omnes, fortitudine autem viri fortis pauci. Et apud Homerum Neſtor in conſilijs præcipuus, bello utilis. Darius etiam tot Zopyros ſibi exoptat, quot grana inſunt Punico malo. Hi autem fuerunt ſenes, qui non viribus, aut celeritate corporum res magnas geſſêre, ſed conſilio, authoritate, & Sapientiâ, quibus non modò non orbari, ſed augeri etiam ſenectus ſolet.

Virgil.

*Nec tarda ſenectus*
*Debilitat vires animi, mutatque vigorem.*

Et Ovid. in Metamorp.

*Non omnia grandior ætas*
*Quæ fugiamus habet, ſeris venit uſus ab annis.*

Hinc ea verba Agamemnonis ad Neſtorem Iliad.δ. O ſenex utinam ut animus in pectoribus amicis, ſic tibi genua reſponderent, viſque tibi firma eſſet. Porrò quanquam Sapientia canis non ſit æſtimanda; & plurimi inveſti mento hoc Comici meritò proferre poſſint;

*Spectare noli ſimne juvenis qui loquor,*
*Viri ſed utrum verba prudentis loquor;*

Tamen;

Terent.

*Nunquam ita quiſquam bene ſubductâ ratione ad vitam fuit;*
*Quin res, ætas, uſus, ſemper aliquid adportet novi,*
*Aliquid moneat, ut illa quæ te ſcire credas, neſcias,*
*Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.*

Quia ut alius Comicus inquit;

*Sapientiæ ætas condimentum eſt, ſapiens ætati cibus.*

Et; *Multâ eſt operâ opus fictura qui ſe fictorem probum*
*Vitæ eſſe agendæ expetit.*

Itaque Plutarchi ſententiâ hæc finio: Maximè ſervatur Civitas, ubi conſilia ſenum, & juvenum virorum præcellunt lanciæ.

Miſer-

# Miſerrima ſervitus, ſervire voluptati.

## *EMBLEMA VIII.*



*Imbelli digito dum carpis fila, columque,*
*Fœmineos inter Sardanapale greges;*
*Servus es infamis; Quid enim ſervilius illo,*
*Quem premit imperijs fœda libido ſuis.*

## COMMENTARIVS.

HIc error hominum animos invaſit, ut illos in purpurâ & Diademate fulgentès; quibus undique lictor populum circumfuſum arcet; quos ſupra capita hominum, ſupràque turbam delicatos Lectica ſuſpendit; magnos fœliceſque exiſtimet; quorum tamen ſuperficiariam fœlicitatem ſi diligentius introſpiciamus; non reges, liberos, aut fœli-

ces, ſed miſerrimos ſervos eſſe comperiemus:

Boët. lib. 4. Met. 2.

*Quos vides ſedere celſo*
*Soly culmine Reges*
*Purpurâ claros nitente*
*Septos triſtibus armis:*
*Detrahat ſi quis ſuperbis*
*Vani tegmina cultus*
*Iam videbit intus arctas*
*Dominos ferre catenas.*

Seneca. Nemo quidem illis venientibus reſiſtit; ſed nec ipſi ambitioni crudelitatique reſiſtunt. Tunc quum agere viſi ſunt, aguntur. Quis Tarquinium vitijs affectibuſque ſervientem Regem dicat? An Sardanapalus mihi rex erit, cui muliercula imperat? cui leges imponit, præſcribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti recuſare poteſt, nihil negare audet? Si poſcit, dandum eſt, ſi vocat, veniendum, ſi ejicit, abeundum, ſi minatur, extimeſcendum eſt. Ego verò iſtum non ſervum, ſed nequiſſimum ſervum exiſtimo. Quomodò, aut cui tandem hic libero imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrenet prius libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, cæteraſque animi labes. Tunc incipiat alijs imperare, cum ipſe improbiſſimus Dominus dedecori ac turpitudini parêre deſierit. Talem Regem tibi Tragicus depinget.

Cic. in Paead.

In Thyeſt.

*Rex eſt qui poſuit metus,*
*Et diri mala pertoris,*
*Qui tuto poſitus loco*
*Infrà ſe videt omnia,*
*Occurritque ſuo, libens*
*Fato, nec queritur mori,*
*Mens regnum bona poſſidet,*
*Rex eſt, qui metuit nihil*
*Hoc regnum ſibi quiſque dat.*

En tibi Regem, non vitijs, non caſibus, non morti ipſi ſubjectum, omne denique gaudium ex Bonâ ſua mente promentem. Et an non pulchrius ampliuſque hoc regnum;

*Quàm ſi Lybiam remotis*
*Gadibus jungas, & uterque Pœnus*
*Serviat uni?*

Mihi

Mihi certè cum Claudiano videtur, dum inquit,

*Tu licet extremos latè dominère per Indos;*
*Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent;*
*Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris irâ;*
*Servitij patière jugum, tolerabis iniquas*
*Interius leges, tunc omnia jura tenebis,*
*Cum poteris rex eſſe tui, Proclivior uſus*
*In peiora datur, ſuadetque licentia luxum,*
*Illecebriſque effrena favet, tunc vivere caſtè*
*Aſperius, cum prompta Venus, tunc durius iræ*
*Conſulitur, cum pœna patet. Sed comprime motus,*
*Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit*
*Occurrat.*

Non abludit ab hoc illud Senecæ; Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium; ſubmove vitia. Favet etiam Boëtius;

*Qui ſe volet eſſe potentem,* Lib.3. Met. 5.
*Animos domet ille feroces,*
*Nec victa libidine colla*
*Fœdis ſubmittat habenis,*
*Etenim licet Indica tellus*
*Longè tua jura tremiſcat,*
*Et ſerviat ultima Thule;*
*Tamen atras pellere curas,*
*Miſeraſque fugare querelas*
*Non poſſe; potentia non eſt.*

# Futura latent.

## *EMBLEMA IX.*



*Dum gravis apricis in collibus Æſchylus errat,*
*Concipiens cedro carmina digna lini;*
*Decidit ex Aquilæ roſtris Teſtudo; ſacrumque,*
*Heu, miſeri Vatis contudit illa caput:*
*Neſcia mens hominum Fati, dum plurima fingit*
*Sæcula, mors ipſas ſæpè ſtat ante fores.*

## COMMENTARIVS.

NArrant ij, qui Hiſtoriam Naturalem conſcripſerunt, Aquilæ tantum eſſe ingenij, ut Teſtudinem raptam, ex alto aptum ſpeculata locum, in ſaxũ aliquod demittat,

ut ad

ut ad eum modum ruptâ teſtâ carnibus veſci poſſit. Verum in Æſchylo parum aquilinis oculis fuit,quum in hujus albicantem calvariem, ſaxum eſſe rata, demiſſâ Teſtudine miſerum occiderit, ut vel ob hanc unam cauſam optimo jure Poëtis omnibus conveniat eſſe inviſam. Hujus autem Æſchyli improviſus caſus admonet nos fragilitatis vitæ humanæ, noſtraſque conceptiones inanes eſſe, utpote quæ puſillo temporis ſpatio ſæpè franguntur & corruunt, & in ipſo curſu ante obruuntur,quàm portum conſpicere valeant: ita ut veriſſimè cecinerit Tragicus.

*Gens hominum fertur rapidis obvia fatis* In Herc. furent.
*Incerta ſui, ſtygiaſque ultrò quærimus umbras.*

Omnis dies, omnis hora vitam noſtram carpit, omne denique momentum quàm nihil ſimus oſtendit, & aliquo argumento recenti admonet nos fragilitatis noſtræ oblitos, & æterna cogitantes, reſpicere cogit ad mortem. Quod animadvertens Ariſtoteles, verè nos imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, Fortunæ luſus, & calamitatis trutinam appellavit. Et ille dixit: Hominem eſſe lutum ſcitè mixtum, vitam, hæminã unam ſanguinis, quàm quilibet levis caſus rumpit, quælibet febricula corrumpit. Quid Lucianus in Charonte? vitas hominum bullis hujuſmodi ſimiles facit,quarum aliæ ſimul ac natæ ſunt protinus evaneſcunt, aliæ paulò diutius durant, omnes breviſſimis quibuſdam intervallis aliæ ſuccedunt alijs. Plautus in Pſeudolo, Seneca ad Lucil.

*Quaſi herba ſolſtitialis pauliſper fui,*
*Repentè exortus ſum, repentinò occidi.*

Huc, etiam reſpexit Pindarus, cum dixit, τί δέ τις, τί δ᾽ οὔτις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. .i. Quid eſt aliquis? quid eſt nullus? umbræ ſomnium homo. Et verè; punctum enim eſt quod vivimus, & adhuc puncto minus, ſed hoc minimum ſpecie quadam longioris ſpatij natura deriſit. Aliud ex hoc infantia terit, aliud pueritia, aliud adoleſcentia, aliud inclinatio ad ſenectutem, aliud ipſa ſenectus. Et ſic Seneca.

*Feſtinat decurrere velox*
*Floſculus anguſtæ, miſeræque breviſſima vitæ* Iuvenal.
*Portio, dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas*
*Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.*

Immò & mors: Sed in hoc errore verſamur omnes, ut non putemus niſi ſenes inclinatoſque ad eam vergere, quum illò in- Seneca in Conſol.

fantia ſtatim,& juventa,omniſque ætas ferat. Agunt opus ſuum fata,nobis ſenſum noſtræ necis auferunt,quoque facilius obrepat mors, ſub ipſo vitæ nomine latet.

*Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.*

Tragicus. Et Prima quæ vitam dedit hora, carpſit, Hæc quum ita ſeſe habeant, quum tantulum ſit quod vivimus, quantis tamen illud circumſcriptum eſt anguſtijs? Sexcenta morborũ genera quotidie infeſtant, nec pauciores impetunt caſus, & ruinæ, venena, naufragium, lapſus, fulmen, & quid non? Ait non falſus Vates,

Stat. *Quid craſtina volverit ætas*
*Scire nefas homini.*

Et Lyricorum Princeps,

*Quid ſit futurum nunquam homini ſatis*
*Cautum eſt in horas, Navita Boſphorum*
*Pœnus per horreſcit, neque ultrà*
*Cæca timet aliunde fata,*
*Miles ſagittas, & celerem fugam*
*Parthi, ſagittas Parthus, & Italum*
*Robur, ſed improviſa lethi*
*Vis rapuit, rapietque gentes.*

Alium acini granum glutientem, ſuffocatum accipimus; Alium potus cum lacte pilus ſtrangulavit. Illum Bellantem arma decipiunt. Illum Dijs vota reddentem Penatum ſuorum ruina ſepelit, ille vehiculo lapſus properantem ſpiritum excuſſit. Si bene Petron. calculum ponas; ubique mors præſto eſt. Et tamen nos hoc animal ſumus, quod tantos molitur tumultus, cujuſque cupiditatibus hic orbis anguſtus. Cujus rei clariſſimum ſpecimen præbuit Alexander, qui Philoſopho quodam de pluribus mundis diſſerente ploraſſe dicitur, quod unum tantum ſubegiſſet, eòq; inſaniæ tandem devenit, ut Deus appellari voluerit, O turgidum putrentis vermis votum, neſciebat ſcilicet ſe ſperma fœtidum, ſacrum ſtercorum, animal denique eſſe ἡμερόβιον, cui vitæ menſura dies. Sed quid hoc in Alexandro Monarcha totius univerſi miramur? Cum inter tot Fortunæ obſequia parum ſobria ſit mortalitas? In nos deſcendamus, idem & nobis objici poſſe comperiemus. Quanto ſtudio, quantâque contentione miſelli homunciones honori & ambitioni velificamur? quàm ſolliciti in titu-

in titulum ſepulchri laboramus? quum tamen omnia mortalium ſtudia mortalitate damnata ſint. In quàm longinquum cogitationes noſtras ordinamus? ignari nullam fidem vitæ eſſe, maximam morti. Providus certè, & in poſterum proſpiciens mihi ſit; qui collectis ſarcinis ſuis, & ex hac vitâ, tanquam hoſpitio, migrare paratus; craſtinum ſecurus exſpectet, quem ſi Deus concedat, in lucrum ſuum deputet.

Deſpe-

# Deſperatio audaces reddit.

## *EMBLEMA X.*



*Actum eſt, interij, niſi Deſperatio præceps,*
*Per medias cæcam concitet ire ſudes.*

## COMMENTARIVS.

PEſſimè meâ ſententiâ Imperatores, duceſque ij agunt, qui hoſtes ſuos ad extremos uſque fines perſequuntur: Nam quemadmodum felis undique cincta fuſtibus

Lucan. *Fortis virtute coactâ*

Per eos ruit, & ſæpiſſimè evadit: ſic hoſtibus locorum anguſtijs, & armatorum multitudine circumventis, ex deſperatione creſcit audacia, &, quum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido. Quod probè intelligens Scipio; dicebat hoſtibus viam, quâ fugiant,

fugiant,aperiendam eſſe. Sæpè enim qui mortem evadere non poteſt, ultrò pericula ſequitur. Eique (ut Statius aſſerit)

*Vires fiducia lethi*
*Suggerit.* Lib 7. Thebaid.

Ita ut illud Virgilij audiatur;

*Moriamur, & in media arma ruamus;*
*Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.*

Et, ut Seneca in Medea inquit;

*Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.*

Valerius Maximus ait; Humanæ imbecillitatis fortiſſimum duramentum eſſe neceſſitatem: De hoc ſi anteà dubitabatur, noſtris temporibus ingenti documento, adverſus Hiſpanos, compertum eſt; nulli ſcilicet populo, ad decus ac libertatem nato, tam degenerem animum eſſe ut velit, tam afflictas vires ut cogatur permanere in eâ vivendi conditione, cujus eum pœniteat. Hinc énim dolor, & indignatio, eruptura tandem in nervos, ubi graviora ſunt quæ patiuntur homines, quàm quæ ultrà formidare queant. Damindas, quum Philippus irrupiſſet in Peloponeſum, & quidam ita loqueretur; Periculum eſt ne acerba patiantur Lacedæmonij, niſi Philippo reconcilientur; O ſemiviri inquit, quid nobis poterit acerbi accidere, qui mortem contemnimus? Crotonienſium (ut ait Iuſtinus) centũ & viginti millia armatorũ erant, quum Locrenſes paucitatẽ ſuam conſpicientes (nam ſola quindecim millia militum habebant) omiſſâ ſpe victoriæ in deſtinatam mortem conſpirant, tantuſque ardor ex deſperatione ſingulos cœpit, ut victores ſeſe putarent, ſi non inulti morerentur. Hi quum mori honeſtè quærunt, victores exſtiterunt. Tantum ſcilicet effecit miſtus timori pudor, ſpeſque deſperatione quæſita. Proinde altè ſedeat Imperatorum animis, quod Pyrrhus, inter cætera militaria præcepta, memoriæ prodidit: Non eſſe pertinaciter inſtandũ hoſti fugienti. Sed ſecundum Guicciardinum, *All' inimico quando voleva anderſene, non ſi dovera chiudere la ſtrada, ma piu preſto, ſecundo il vulgato proverbio, fabricarli il ponte d'argento.* Lib. 2.

*Quia fortior ultima virtus,* Lucanus.

Et acerbiſſimi ſunt morſus morientium ferarum.

# In ſtatuam Bacchi.

*EMBLEMA XI.*



*Cur ferulam Bacchus manibus gerit atque papaver?*
*Dic mihi cur veteres hæc voluêre Patres?*
*Scilicet ut vino plenus, det corpora ſomno,*
*Poſtridie pœnas ſe meruiſſe ſciat.*

## COMMENTARIVS.

VEteres illi quorum auctoritas & Sapientia adhæc uſque tempora provecta eſt; Bacchi ſtatuam ita depingebant; ut ferulam dextrâ, papaver verò ſiniſtrâ geſtaret; innuentes per ferulam, ebrioſum pœnâ dignum, per papaver, nihil ei eſſe utilius ſomno. Egregium certè commentum: Nam quum

*Hodie*

*Hodie eſt magnum hoc vitium in vino, ut* Plautus.
*Pedes captet & linguam luctator doloſus;*

cumque ebrius, ignoratione ſui, dubia, & parum explanata verba proferat, &, vertigine capitis laboranti, tota domus, velut aliquo turbine, circumagi videatur; quid illi conſultius quàm crapulam illam, ſtomachi tormentum, quum efferveſcit merum, & viſcera diſtendit; edormire? Poſtero autem die, quum ſibi redditus intelligit omnia vitia ſua detecta; pœnitentiam agat. Etenim quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in ſummam partē, vi caloris ejicitur: ſic vino exæſtuante, quicquid in imo eſt abditum; effertur. Tunc injuſta prodeunt certamina, &, nullis exiſtentibus cauſis, aſpera rixa excitatur; quia ebrius, interponendo verba ſua vana, aliorum ſana dicta non audit; ſed in contumeliam erigitur, in convivarum & proximorum crimina, & cœdes. Ne longè exempla petamus, offert ſe nobis Alexander, qui Clitum, chariſſimum ſibi ac fideliſſimum, inter pocula transfodit, & intellecto facinore mori voluit. Denique

*Ne quis modici tranſiliat munera Liberi*
*Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero* Horat.
*Debellata; monet Sithoniis non levis Evius,*
*Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum*
*Diſcernunt avidi.*

Certè

*Nox, & amor, vinumque nihil moderabile ſuadent,*
*Illa pudore vacat, Liber, Amorque metu.*

Hinc Hegio, apud Terentium in Adelphis, docens Soſtratæ filiam iniquè ab Æſchyno tractatam, ac tandem vitiatam eſſe; ſic ait;

*Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia.*

Et Plautus in Bacchidib.

*Iſtoc illecebroſius*
*Fieri nihil poteſt, nox, mulier, vinum, homini aduleſcentulo.*

Hoc intelligens Pittacus Mitylenæus, legem tulit; ut, qui per temulentiam ſceleris quid commiſiſſet; duplo plecteretur. Solet enim vulgus hominum, ebrietatis obtentu, crimen extenuare, & omnem offenſam in vinum conjicere. Hoc videre eſt in Dinarcho adoleſcente apud Plautum, dum inquit;

*Per tua obſecro genua, ut tu iſtuc inſipienter factũ, ſapienter feras,*
*Mihique ignoſcas, quòd animi impos, vini vitio fecerim:*

Cui Callicles ſenex;

*Non places, in mutum culpam confers, quod nequit loqui,*
*Nam vinum ſi fabulari poſſet ſe defenderet:*
*Non vinum hominibus moderari, ſed vino homines ſolent,*
*Qui quidem probi ſunt, verum qui improbus eſt, aquam ſi bibit,*
*Sive adeò caret temeto, tamen ab ingenio eſt improbus.*

Certè vinum ſi effundendum eſt, aliter effundi poteſt quàm per corpus humanum, in quo conſilia impedit, & vigilantiam aufert. Leotychidas quodam rogante quam ob cauſam parum biberent Spartiatæ; Reſpondit, ne pro nobis alij conſultent, ſed nos pro alijs. Nam, ut Menander inquit, Multum meri nefaria cogit ſapere. Vini uſum præſcribet tibi Anacharſis, qui dicebat vitem ferre tres botros, primum voluptatis; alterum ebrietatis, tertium moleſtiæ: Sentiens parcum vini uſum eſſe jucundum, quia ſedat ſitim, largiorem gignere temulentiam, largiſſimum parere rixas, cœdes, & morbos.

Medio

# Medio tutiſſimus ibis.

*EMBLEMA XII.*



*In medio fueram tutus; dum prendere ſumma*
*Nitor; in adverſum culmine dejicior.*

## COMMENTARIVS.

DOcet hoc Emblema; Fortunam reverenter,& cum modo eſſe habendam, ne dum ad culmen pervenire contendimus,unà cum ipſis ramis,quos comprehendimus, decidamus. Teſtudo ubi collecta in ſuum tegmen eſt, tuta ſtat ad omnes ictus; ubi exerit partes aliquas; quodcunque nudavit; obnoxium atque infirmum habet: ſic nos, apud nos, tuti ſumus. Cum autem Cæſareum illud, *Plus ultrà*, cogitantes; Fortunæ nos exponimus, ex alto in imum ſæpe præcipitamur.

 Quoniam

Quoniam ad ultimum exire, niſi lenta fœlicitas non ſolet. Appetitus autem, dum longius evagantur, & tanquam exulantes cupiendo atque appetendo, non ſatis à Ratione cohibentur; finem & modum tranſeunt; quem ubi ſemel reliquerunt; actum eſt:

*Quiſquis* (enim) *medium defûgit iter;*
Seneca. *Stabili nunquam tramite currit.*

Et ſecundum Ariſtotelem; quantò magis aliquid accedit ad medium; tantò melius, quantò magis diſtat à medio, tantò pejus eſt. Hoc unum itaque cum Plauto cogitemus;

In Pœnulo. *Modum omnibus rebus optimum eſſe habitum,*
*Nimiaque omnia, nimium exhibere negotium hominibus ex ſe.*

Prudenter Tragicus;

In Oedipo. *Fata ſi liceat mihi*
*Fingere arbitrio meo;*
*Temperem Zephyro levi*
*Vela; ne preſſæ gravi*
*Strepitu antennæ tremant.*
*Tuta me media vehat*
*Vita decurrens via.*
*Quicquid exceſſit modum*
*Pendet inſtabili loco.*

Probavit hoc inſolens ille Puer, patriæ cautionis immemor, qui

*Gnoſium Regem timens,*
*Alta dum demens petit,*
*Artibus fidens novis,*
*Certat & auras leves*
*Vincere, & falſis nimis*
*Imperat pennis Puer;*
*Nomen eripuit freto.*
*Callidus medium ſenex*
*Dædalus librans iter;*
*Nube ſub mediâ ſtetit*
*Alitem ſpectans ſuum.*

Hinc ita Horatius ad Licinium,

Ode 10. lib. 2. *Rectius vives Licini, neque altum*
*Semper urgendo, neque dum procellas*

*Cautus*

*Cautus horreſcis, nimium premendo*
*Littus iniquum.*
*Auream quiſquis mediocritatem*
*Diligit; tutus caret obſoleti*
*Sordibus tecti, caret invidendâ*
*Sobrius aulâ.*
*Vivitur parvo benè, cui paternum*
*Splendet in menſâ tenui ſalinum,*
*Nec leves ſomnos timor, aut cupido*
*Sordidus aufert.*

Munera iſta quæ fallax Rhamnuſia dat, inſidiæ ſunt, &, quod Demoſthenes de donis hoſtium dicebat; δῶρα ἄδωρα.

*Quicquid in altum Fortuna tulit, ruitura levat.* Tragicus.

Licet enim pullis ſuis aſpirare aliquandò videatur, tamen ad ultimum temeritati non ſufficit; quoſque diu proſecuta eſt, repentè velut fatigata deſtituit. Deſtituit? immò abjicit. Soletque, quos plurimis beneficijs ornavit, ad duriſſimos caſus reſervare, (Vell. Paterc. lib. 2.)

*Et longi pœnas Fortuna favoris* Lucanus.
*Exigit à miſeris.*

Itaque adverſus hujus fallacias, hoc ſcuto & ſcito, cum Senecâ, te munio & moneo; Vt ſcilicet ad parva te redigas, ex quibus cadere non poſſis; & Fortunam, ut tunicam, magis concinnam, quàm longam probes. (Epiſt. 26.)

# In Deo lætandum.

## EMBLEMA XIII.



*Cynthius igniferâ contingit lampade terram,*
*Et tamen æthereo ſervat in axe locum:*
*Sic Animus, quanquam ſit noſtri corporis hoſpes,*
*Aſſiduò auctori debet adeſſe Deo.*

### COMMENTARIVS.

Senecæ locus.

QVamquam ſimus incluſi his corporis compagibus, ubi munere quodam neceſſitatis, & gravi opere perfungimur; Animus tamen, illa Divinæ particula auræ, altius ſurgere debet; Nulli enim ei poſiti ſunt termini, niſi communes propemodum cum Deo. Ad quem à corporis ſui habitu vocatur, qui in Cœlum erigitur, quò ipſum initia ſua &

ſua,& origo trahunt. Maximum autem argumentum eſt divinitatis; ſi hæc, in quibus verſatur; humilia judicet & anguſta, ſi exire non metuat,unde venit. Erit autem illîc,etiam antequàm hâc cuſtodiâ exolvatur,ſi vitia,ad quæ, à carnali corpore, malo ſuo hoſpitio, impellitur; deſerat, puruſque ac levis in cogitationes divinas emicet. Quarum ducem ſibi habebit cœleſtem illam Philoſophiam, quam ſecutus, oculis ſuis per cœli plagas, & aſſiduò lucentes globos peregrinabitur, ijs itineribus, quæ, exploratione acuminis ſui, pervia ſunt ſolis meditationibus. Audi Vatem;

*Mente Deos adijt, & quæ Natura negavit* Ovid.
*Viſibus humanis; oculis ea pectoris hauſit.*

In hâc ſublimitate collocato, nihil videbitur magnum in rebus humanis, utpote cui æternitas omnis, totiuſque mundi nota erit magnitudo. Aurum argentumque, in quibus jacuêre tenebris, digniſſima; nõ hoc æſtimabit ſplendore, quo imperitorum verberant oculos, ſed irretortis luminibus præteribit,& tamen Orientem, occidentemque plagam ſuam faciet. Cum verò veniet dies ille decretorius, qui mixtum hoc divini humanique ſecernat; non illum tanquam extremum reformidabit; ſed,tanquam æterni natalem,lætus aſpiciet. Corpus hoc ubi invenerat relinquet, nec quis deinde reliquus ejus futurus ſit exitus quæret. Et cum cordatiſſimo illo Sene hilaris exclamabit; Non me pœnitet vixiſſe, quoniam ita vixi, ut fruſtrà me natum non exiſtimem; diſcedo autem ex hâc vitâ, tanquam ex hoſpitio.

# Ingratis ſervire neſas.

## *EMBLEMA XIV.*



*Serpentes hederæ nequeunt conſiſtere per ſe,*
*Sed duce Populeo ſtemmate ſumma petunt,*
*Et tamen hoc vitâ tandem complexibus orbant;*
*Obſequijs vinci mens malè grata nequit.*

## COMMENTARIVS.

HEdera herba eſt perpetuò virens; quæ quum per ſe ſtare non poſſit; arboribus & muris adhæret. Hinc ab hærendo eam dictam putant. Sed veriſimilius ejus nominis originem ab Edo deducemus; quòd arbores, atque parietes edat, & conſumat. Adſtipulatur Feſtus: Hedera dicta

dicta, quòd hæreat, vel quòd edita petat, vel quia, id cui adhæſerit, edat. Et vetus Poëta Laberius;

*Vt hedera ſerpens vires arboreas necat;*
*Ita me vetuſtas amplexu annorum enecat;*
*Sepulchris ſimilis, nil niſi nomen retineo.*

Hujus herbæ exemplo, quidam primam & facillimam ad gloriam viam incunt, per notitiam clarorum, & illuſtrium virorum, deque Republicâ benè merentium, ut non aliter quàm hedera, validam amplexa arborem, unà cum eâ ſe erigit atque attollit; ſic illorum hominum conſortio innoteſcant. Tamen quemadmodum hedera, vires, & vitalem illum arboris ſuccum ac ſpiritum, arctis ſuis amplexibus impedit, atque enecat: ſic ſæpiſſimè videmus, illos qui cum talibus ſimul & ſurgunt & creſcunt; eò tandem inſolentiæ devenire, ut per quos profecerunt, & quibus omnia incrementa ſua, vitam denique ipſam debent; eos de ſtatu ſuo dejiciant. Vt alia omittam; inſigne maximæ ingratitudinis exemplum præbuit impius ille Sextilius, qui L. Cæſarem; à quo tum ſtudioſè, tum etiam fœliciter, graviſſimi criminis reus, fuerat defenſus; Cinnamæ profectionis tempore profugum, à ſacris perfidæ menſæ, & altaribus nefandorum penatum avulſum, truculento victori tradere jugulandum non exhorruit. Themiſtocles olim ſe platanis ſimilem haberi conqueſtus eſt; ſub quarum ramos, ubi tempeſtas & pluviæ ingruunt, confugitur, ubi verò ſerenitas oboritur; rami earum amputantur, & conteruntur pedibus: Idem de illo actum; cum enim patriam incolumem, claram, opulentam, principem denique Græciæ reddidiſſet, eòuſque illam inimicam ſenſit, ut ad Xerxis, quem paulò ante deſtruxerat, miſericordiam perfugere neceſſe habuerit. Egregiam certè ingratitudinem; quid aliud hoc, quàm cum ariete iniquam nutricationis mercedem perſolvere? Anaxagoras Philoſophus, quum à Pericle, curis publicis occupato, jam ſenex negligeretur; capite obvoluto, vitam inediâ finire decrevit; Periclem itaque caſu adventantem, & ſeriò, ſed ſerò lamentantem, quòd talem in Republicâ gerendâ conſiliarium amitteret; hâc voce allocutus eſt; Quibus lumine opus eſt, hi oleum lucernæ affundunt. Verum hercle effatum, & optimè quadrans in ingratos, quos diverſis locis ita perſtringit Comicus,

Plutarch. in Polit.

Val. Max.

*Nihil amas, cum ingratum amas, neque tipulæ levius pondus, quàm fides ejus;*
*Si quid benefacias, levior pluma eſt gratia,*
*Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerit.*

Ad Demon. Iſocrates eos canibus alienis comparat, quibus licet benefiat, tamen in poſterum admordent, & allatrant. Quarè ironicè Theocritus inquit;

In Hodæpor. *Paſce canes, qui te lanient, catuloſque luporum;*

ſentiens, ſcilicet, minimè eos eſſe fovendos, ne miſeri Actæones à privatis diſcerpamur canibus; quoniam, ut teſtatur Mimus,

*Malevolus ſemper ſuâ naturâ veſcitur.*

Æſchylus;

*Catulum Leonis alere in urbe non juvat,*
*Magis cavendum ne Leones nutrias,*
*Quos qui educarit; ejus & mores ferat.*

A mini-

# A minimis quoque ſibi timendum.

## *EMBLEMA XV.*



*En ego qui terror cunctis incedo per orbem;*
*Solius Culicis ſpicula dira tremo:*
*Ne nervis confide tuis; Nam parvula quæque,*
*Dum minimè credis, quo perimamur habent.*

### COMMENTARIVS.

MOnemur hoc Emblemate; nihil tam firmum eſſe, cui periculum non ſit ab invalido. Sic Leo aliquandò minimarum avium pabulum fit, & ferrum rubigo conſumit. Arbores magnæ diu creſcunt; momento extirpantur. Sylva multarum ætatum unâ horâ fit cinis. Xiphus piſcis, Latinis Gladius, ipſis Balænis (teſte Æliano & Plinio) formidabilis;

dabilis; ab Æſtro, ſive Aſylo, inſecto vix aranei magnitudinis; percitus, in furorem adigitur, ita ut ſæpè in terram, vel naves exſiliat, donec tandem immenſos cruciatus cum morte commutet. Quod animadvertentes, nimiam noſtri fiduciam paululum ponamus, & cogitemus, eum, qui jam in rerum eſt cumulo, cras poſſe eſſe in tumulo:

Seneca.
*Vos quibus Rector maris atque terræ*
*Ius dedit magnum necis, atque vitæ,*
*Ponite inflatos tumidoſque vultus,*
*Quicquid à vobis minor extimeſcit;*
*Major hoc vobis Dominus minatur:*
*Omne ſub regno graviore regnum eſt.*

Horatius;

*Regum timendorum in proprios greges*
*Reges in ipſos imperium eſt Iovis.*

Olim hi verſus contrà Imperatoris Maximini ſenioris crudelitatem prolati ſunt:

*Qui ab uno non poteſt occidi, à multis occiditur,*
*Elephas quidem grandis eſt, & occiditur,*
*Leo fortis eſt, & tamen occiditur,*
*Tigris acerrimus eſt, & occiditur:*
*Cave multos, ſi ſingulos non times.*

Vna enim cervix Regis eſt, at plurimæ ſunt ſubditorum manus; & qui ſuam negligit, in cujuſlibet vitam jus habet. Hæc exempla Principes moneant, ut humanitatis gloriam aucupentur, amentque cum nomine Maximi, jungere etiam nomē Optimi, certi certiſſimū eſſe munimentum, munimento non egere, ſed ſolo ſubditorum amore ſtipari. Quia,

Claud.
*Non ſic excubiæ, nec circumſtantia tela;*
*Quàm tutatur amor.*

Forti-

# Fortitudini jungendus aſtus.

## EMBLEMA XVI.



*Quid ſibi vult rabido Vulpes conjuncta Leoni?*
*Scilicet ut Vires adjuvet uſque Dolus.*

### COMMENTARIVS.

DIcebat olim Lyſander; Si Leonis exuvium non ſufficit; adde vulpinum: Innuere volens; quum res viribus obtineri non poſſit, adhibendum eſſe Dolum; Et quum Paccuvius, contendi nequitum eſt; clam tendendam eſſe plagam. Hic Lyſander, quemadmodum in ejus vitâ memorat Plutarchus, irridere ſolitus eſt eos, qui veluti ab Hercule prognati, bella apertis viribus, citràque dolum, gerenda eſſe cenſerent. Simile huic Lyſandri, Maro etiam approbare videtur, cum inquit;

Mutemus

Lib.2. Æneid.

*Mutemus clypeos, Danaumque inſignia nobis*
*Aptemus, dolus an virtus quis in hoſte requirat.*

Plutarch.in Vit. Syll.

Carbo olim Syllæ dixiſſe memoratur, ſe bellum gerere cum Vulpe & Leone; quorum uterque habitabat in animo Syllæ, ſed magis ſe à Vulpe timere ſibi, quàm à Leone. Et hodie videmus, magis aſtutiam in bello, quàm vires exerceri, cum ingentibus illis, & exſecrandis machinis bellicis, atque bombardis, fortiſſimi quique, &, Homeri verbo, θυμολέοντες, ab imbelliſſimo timidiſſimoque homuncione ſæpè tollantur.

Ab

# Ab imbellibus nulla victoria.

## *EMBLEMA XVII.*



*Iacentem Leporem Canis laceſſet*
*Rarò; ſternere poſſe curſitantem*
*Gaudet: Sic generoſus ardor ille*
*Heroüm; modò ſtrennuos fatigat:*
*Vires pectoris incitat fovetque*
*Æmulatio; quòque perſtat hoſtis*
*Magis; hòc magis incitatur ardor.*

### COMMENTARIVS.

DOcemur hoc Emblemate,
*Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos:* Virg. Æneid.6,

Exemplo Canis, qui (ut Pierius in Hieroglyphicis ſuis de Cane ait) proſtratum Leporem rariſſimè laceſſit, ſed fugientem ex naturali illa ἀπαθία quàm ociſſimè inſequitur. Leones proſtratis parcunt, & in viros potius quàm fœminas ſæviunt, non perimunt infantes, niſi magnâ fame coacti. De his ſic Ovidius;

Lib.3.Triſt. Eleg.4.

*Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,*
*Pugna ſuum finem, quum jacet hoſtis, habet,*
*At lupus, & triſtes inſtant morientibus urſæ;*
*Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.*

Et à Lucano dicitur

*Nobilis ira Leonum.*

Quibus ferarum exemplis monemur, in eâ victoriâ, quæ de vilibus reportatur hoſtibus, nullam ineſſe dignitatẽ, verum cum præſtantibus ſuſceptam contentionem eſſe in utramque partem tutam. Nam ejus victoria inſignem habet gloriam, & ſi quid ſecus acciderit, præſto eſt conſolatio. Prætereà monemur alieno ſanguini tanquam noſtro parcendum, & homine non eſſe prodigè abutendum, ſed potius clementiam exercendam; quâ virtute nihil magno & præclaro viro dignius, nihil laudabilius,

Claud.

*— Nam quum vincamur ab omni*
*Munere; ſola Deos æquat clementia nobis.*

Terentius in Adelphis

*Reipſa repperi*
*Facilitate nihil eſſe homini melius, neque clementiâ.*

Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius, quàm illa Corona, quæ datur *Ob Cives ſervatos.*

Seneca in Medea.

*Hoc Reges habent*
*Magnificum, & ingens, nulla quod rapiat dies;*
*Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare*
*Protegere.*

Hæc autem gloria ſervandi, nemini competit, niſi majori. Legimus apum Regem non aculeo, ſed ipſa majeſtate armari. Voluit ſcilicet illum, Naturæ opifex Deus, nec ſævum eſſe, nec ultionem magno conſtituram petere; telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens, quos non laurus, nec duces catenati, non bracteatus lictor, non fremor Quiritum, aut arma perduellibus erepta, ſpoliave, queis

Seneca de Clement.

Feretrium

Feretrium Iovem mactare ſolet, æquè clarant, quàm hæc clementiæ laus. Vti itaque animoſè debent tanto munere Deorum, dandi auferendique vitam potentes: in his præſertim, quos ſciunt aliquando ſuo faſtigio obſtitiſſe, hoc arbitrium adepti, ultionem impleverunt, perfeceruntque, quantum veræ pœnæ ſatis erat. Perdidit enim vitam qui debet: & quiſquis ex alto ad inimici pedes abjectus, alienam de capitè ſuo ſententiam exſpectavit, in ſervatoris ſui gloriam vivet, pluſque nomini ejus conferet incolumis, quàm ſi ex oculis ablatus eſſet. Novit hoc probè Antigonus, qui hoſtibus victis omnem libertatem conceſſit, & Philippus, qui Athenienſes ſine pretio dimiſit incolumes. Cæſar etiam laudatus olim fuit, quod bellum aliorum pace mollius geſſiſſet. Magni ſcilicet animi eſt injurias in ſumma potentia pati, nec quicquam glorioſius Principe impune læſo. Illud non venit in dubium, quin ſe exemerit turbæ, & altius ſteterit, quiſquis deſpexit laceſſentes. Sic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat. Sic immanis fera latratus canum minimorum lenta reſpicit, nec unquam fando auditum, aut lectum eſt bubones cecidiſſe Pœanis arcu. Timidi & imbelles Damæ non poſſunt mereri iram nobiliorum ferarum, & Αετὸς ȣ̓ θηρεύϵ τὰς μύιας, .i. aquila non captat muſcas: quod ſi autem à Cornice provocetur, negligit illam, ſciens ſibi ab illâ noceri non poſſe.

Seneca eodem. Idem. Adag.

# Noctua Minervæ ſacra.

## EMBLEMA XVIII.



*Nocte vigent ſenſus; hinc eſt ſacrata Minervæ*
*Noctua, quæ triplici lumine nocte videt.*

## COMMENTARIVS.

Ovid. 2. Metamorp.

DVabus de cauſis Noctua Minervæ ſacra eſt; tũ quia pauciloqua (quæ cauſa fuit cur in Cornicis locum ſuccederet) tum quia nocte acutiſſimè videt. Minerva autẽ, Dea ſapientiæ, ſapientes ſibi quærit conſiliarios. Nullum verò ſapientius conſilium quàm nocturnum, quale ſemper eſt Noctuæ. Plutarchus in Sympoſiacis, decade ſeptima, Problemate nono, citat Platonem, qui ſcripſerit, apud Lacedæmonios fuiſſe νυκτεgινὸν σύλλογον, id eſt, nocturnũ conventum graviſſimorum virorum; ad quem graviſſimæ cauſæ rejiciebantur. Addit apud

apud Veteres noctem εὐφρόνην fuiſſe vocatam, παρὰ τὸ εὖ φρονεῖν, id eſt, à bene ſapiendo. Enimverò propter ſolitudinẽ, altumque illud ſilentiũ, vel maximè ad conſiderandũ & conſultandum de rebus gravibus nox eſt idoneà. Nulla enim acrior, nulla altior cogitatio, quàm nocturna: quia illa mentis vis vehementior eſt, quum per oculorum meatus non exſpirat. Scopelianus Sophiſta, quoniam ſomni parciſſimus erat, noctẽ exiſtimabat ſtudijs, & exercitationi mentis, accommodam. Hinc ſubinde exclamabat: O nox, tu ſanè maximâ ex parte conſors es ſapientiæ Deorum. Habet enim hominis mens, in alto illo ſilentio, corporis ſenſibus jam feriatis, aliquid divinitatis, ſi ſeſe intenderit ad rerum ſublimium ſpeculationem. Plautus in Epidico:

*De die ſæpè ſtultividi ſumus, contrà noctu*
*Licet ſenatum in corde convocare conſiliarium.*

Audi Plinium Epiſt. Lib. IX. Mirè ſilentio & tenebris animus alitur, ab ijs quæ avocant abductus, & liber, & mihi relictus. Non oculos animo, ſed animum oculis ſequor, qui eadem, quæ mens, vident; quoties non vident alia. Cur Philoſophum illum oculos ſibi erui curaſſe putabimus, niſi quia aut melius philoſopharetur, aut ut vitijs viam, quæ per oculos eſt, eriperet? Vt enim ad Lucernæ flammam, pyralles, culices, & id genus alia inſecta convolant; ſic ad oculos alati iſti cupidines vitiorum. Homerus utroque quidem oculo captus fuit, at mentis oculis ita uſus eſt, ut non modò Poëtis & pictoribus, ſed omnibus omninò doctis facem & lucernam accenderit.

# Vinum acuit ingenium.

## *EMBLEMA XIX.*



*Pegaſus, & Bacchus tabulâ junguntur in unâ;*
*Huic latus, huic ſacrum circuit ala caput:*
*Mens humana calens modico perfuſa Lyæo*
*Surgit, & ignavam deſerit ales humum.*

## COMMENTARIVS.

NEmo ita perfunctoriè in Poëtis verſatus eſt, ut ignoret Pegaſum Equum eſſe alatum, è Meduſæ ſanguine procreatum, & ita dictum ἀπὸ τῆς πηγῆς, id eſt, à fonte. Cum enim in Helicona evolaſſet, ſaxũ ungulâ feriens, aperuit. Qui ex eo Hippocrene, id eſt, fons equinus appellatus eſt. Huic Pegaſo, ſicuti & Baccho, ideo alas tribuit vetuſtas, quòd

ſcilicet

ſcilicet Vinum modicè ſumptum ingenium reddat agile & alacre, &, quemadmodum verſus ille apud Athenæum innuit,

*οἶνός τε χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ.*

Plutarchus auctor doctiſſimus, inventionem & facundiam Vino tribuit; dum ſic in Sympoſiacis loquitur: Quidam inter bibendum inventionis acrimoniâ & linguæ facundiâ, quæ in ſobrijs jejuna & contracta erat, ſeipſos ſuperant, ijque Vini fervore, ceu odore quodam thureo ſuffiri, atque expleri ſe ſentiunt, metu, qui ſpiritus generoſos cohibebat, exploſo. Quamobrem Homerus ſuos Heroas, ipſumque Uliſſem de rebus graviſſimis & quàm maximè ſerijs inter pocula facit diſſerentes, non illa quidem (ut veriſimile eſt) pleno auro ſpumantia, quibus ſapientia obumbratur; ſed parva & rorantia, quæ quum in Venas animumque manare & illabi cœperunt, mandragoræ adinſtar curas omnes ſopiunt & componunt, & non obnoxiè, ac proinde verè loquendi facultatem, ſine quâ nullus ingenij aut induſtriæ uſus eſt, adferunt. Hæc ſunt

*Quæ lene tormentum ingenio admovent*
*Plerumque duro,*

quæ nos hilari ludibundâque mente ad feſtivitatis portum perducunt, quæque ex ſententia Platonis ingenij fomites, virtutumque incitamenta ſunt. Videmus quod plantis, idem etiam evenire nobis, illæ enim ſi paulatim, quantumque ſatis eſt bibant, ſeſe erigunt, & tepentis halitum favonij admittunt: Nos, ſi modicè flore illo Liberi Patris adſpergamur, animo aſſurgentes, magnum quippiam & ſupra reliquorum mediocritatem meditamur. Hoc ſi alibi, in Poëtis certe dilucidè videre eſt, hominibus integris vitæ, ſceleriſque puris, quorum animæ cum verum illum & non fictum Pegaſi liquorem largiuſculè admiſerint; ab omni verborum (ut ita dicam) vilitate effugiunt, & ſumunt voces a plebe ſummotas. Itaque Horatius, cum ijs qui Gratijs ſacrificant, tres tantum cyathos haurire permittat; Muſarum ſacris operatos novenum debere numerum ſupplere edicit.

*Qui Muſas amat impares,*
*Ternos ter cyathos attonitus petat*
*Vates: tres prohibet ſuprà*
*Rixarum metuens tangere Gratia.*

Quantò

Apuleius lib. 4. Flor.

Quantò enim Muſarum cratera crebrior, quantòque meracior, tantò propior ad animi ſanitatem eſt. Tunc per exuberans ſententiarum tormentum præcipitatur liber ſpiritus, ut Poëtarum ſcripta, potius furentis animi vaticinatio appareant, quàm relligioſæ orationis ſub teſtibus fides. Narrant Ennium bella, Æſchylum tragædias, non niſi inter Calices ſcripſiſſe: quos partus concipere, & ita omnibus numeris abſolutos edere non potuiſſent, ſi potius Nymphis, quàm Baccho ſe devoviſſent;

Petron. Arbit.

Υδωρ γὰρ πίνων χρηςὸν ἐδὲν ἂν τέκης.

Et ut Flaccus inquit,

*Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt*
*Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.*

Hoc de ſeſe Martialis profitetur,

*Poſſum nil ego ſobrius, bibenti*
*Occurrunt mihi quindecim Poëtæ.*

Seneca de Tranquil. Anim.

Nam ſive Græco Vati credimus; aliquandò & inſanire jucundum eſt: ſive Platoni; fruſtrà Poëticas fores compos ſui pepulit: ſive Ariſtoteli; nullum magnum ingenium ſine mixturâ dementiæ fuit. Non poteſt grande aliquid, nec ſuprà cœteros loqui, niſi mota mens. Cum vulgaria & ſolita contempſit, inſtinctuque ſacro ſurrexit excelſior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non poteſt ſublime quicquam & in arduo poſitum contingere, quamdiu apud ſe eſt. Deſciſcat oportet à ſolito & efferatur, & mordeat frenos, & rectorem rapiat ſuum, eòque ferat, quò per ſe timuiſſet aſcendere. Quod non aliter, quàm modici vini beneficio fiet. Ita ut valdè mihi Dircæus ille Cygnus, quamvis multa aura illum levet, erraſſe videatur; dum cantus ſuos ſic auſpicatur; Αριςον μὲν ὕδωρ: Niſi forte Iſmenus patriæ ſuæ Fluvius, non aquâ, ſed vino decurrerit. Aliter certè ille vatum pater Homerus ſenſit, qui nimium decantandis vini laudibus à pleriſque vinoſus arguitur. Et quidem ſi verum excutiamus, re ipſâ hoc comprobavit: Ita enim vitam ſuam, in morem Cicadæ, inſtituit, ita obijt, ut nec Codicillos, nec Legatũ facere neceſſe habuerit, ſed ſibi ipſe hæres exſtiterit. Et cum ſeptem urbes de Natalibus ejus certarint, vix duo mendici propter baculum, & peram digladiati ſunt. A Poëtis ad graviſſimos illos Romuli nepotes tranſeo, qui, ut eſt ingenium humanitatis, etiam pluſculum innoxiæ hilaritati indulgere non dubitarunt.

tarunt. Scimus priſcam illam intonſi Catonis virtùtem ſæpè mero caluiſſe, & virum illum duriſſimum, coram quo Romam peccare puduit, frontem ſeveram & rugas inter amicos quibus ſeſe dabat explicuiſſe. Probè enim callebat cordatus vir, hominem publicis negotijs occupatiſſimum, remiſſum quidem aliquandò animum poſſe habere, nunquam ſolutum,

*Siccis omnia nam dura Deus propoſuit, neque* Horat.
*Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines.*

Zeno interrogatus cur quum eſſet ſeverus, tamen in convivio hilareſceret, lepidè reſpondit; Et lupinum quum ſit ſuâ naturâ amarum, tamen aquâ maceratum dulceſcere. Hinc ille omnium leporum & facetiarum pater Anacreon inquit:

Πίωμεν οὖν τ᾽ οἶνον
Τὸν τοῦ καλοῦ Λυαίου
σὺν τω δὲ πίνειν ἡμας
Εὕδουσιν αἱ μέριμναι.

*Ergò merum bibamus*
*Pulchrum merum Lyæi;*
*Bibendo namque vinum*
*Ærumna dormit omnis.*

H In

# In degeneres magnorum patrum filios.

EMBLEMA XX.



*Aſpice latrinas, nitido quas lumine Titan*
*Luſtrat, & in tenebris non latuiſſe ſinit:*
*Talis is eſt; quiſquis, nullâ laudabilis arte,*
*Patriciâ tantum nobilitate tumet.*

## COMMENTARIVS.

VEriſſimè Marius apud Salluſtium inquit; Quantò vita majorum præclarior, tantò poſterorum ſocordia flagitioſior eſt. Vt enim turpitudo objectu lucis inſignior, atque conſpectior fit: ſic illa Parentum merita, & ſplendor, degenerantium filiorum notas detegunt. Patet hoc in Scipionis Africani, Quinti Fabij Maximi Allobrogici, & Marci Tullij

Tullij Ciceronis; non Filijs, ſed teterrimis portentis,& (ut ille dicebat) benè natis aſinis, quos heroum illorum Parentũ facta, non illuſtrarunt; ſed prodiderunt, & ridendos toti orbi propinarunt, ita ut ſatius fuiſſet illos latuiſſe; quàm in tam clarâ luce à parentibus ſuis collocatos eſſe. Quia (ut Iuvenalis inquit)

*Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe*
*Crimen habet, quantò major qui peccat habetur.*

Cicero in officijs; Si quis ab ineunte ætate habet cauſam celebritatis,& nominis,aut à patre acceptam,aut aliquo caſu à Fortunâ; in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quomodò vivat, inquiritur, & tanquam in clariſſimâ luce verſetur; ita nullũ poteſt eſſe illius obſcurũ dictum,aut factum. Et ſic in maximâ Fortunâ minimũ licentiæ eſt. Scivit hoc Pindarus,quũ aurea hæc dicta, ad Hieronẽ Siciliæ Regem proferret;

*Attamen (melior enim miſeratione invidia)*
*Ne omitte boneſta; guberna*
*Iuſto clavo populum,*
*Veracemque ad incudem*
*Fabrica linguam,*
*Si enim vel leve eruperit;*
*Magnum feretur*
*Abs te; multorum diſpenſator*
*Es: multi teſtes utriſque fidi.*

Claudianus ad Honorium;

*Hoc te præterea crebro ſermone monebo,*
*Vt te totius medio telluris in orbe*
*Vivere cognoſcas; cunctis tua gentibus eſſe*
*Facta palam, nec poſſe dari regalibus unquam*
*Secretum vitijs; nam lux altiſſima Fati*
*Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes*
*Intrat, & abſtruſos explorat Fama receſſus.*

Videant nunc Heroum Filij, in excelſo ætatem agentes, quàm honorifica neceſſitas illis incumbat,inſiſtẽdi veſtigijs majorum bene præcedentium. Videant quot oculis, immo potius quàm toti mũndo ſatisfaciendum ſit; procul dubio quod vis animi non daret, conferet vis pudoris, & ad ignaviam profligandam, quod propria virtus non valeret, valebit ſpectator. Apud Plautum ille ſic ait; quamvis alio ſenſu;

*Eo ſum genere natus, magna me facinora decet efficere,*
*Quæ poſt mihi clara, & diu clueant.*

Ita ſtatuamus; incitamenta nobis eſſe debere, & faces, geſta noſtrorum parentum; non deſidiæ tibicines,& (ut ille dicebat) velamenta nequitiæ. Ne ſancti eorum manes,noſtro vitio,probroſum illud dictum audire cogantur;

*Fuêre quondam ſtrennui Mileſij.*

Bene monet Lyſiteles apud Comicum;

In Trinummo.

*Itane tandem Majores famam tibi tradiderunt tui,*
*Vt, virtute eorum anteparta, per flagitium perderes?*
*Atque honori poſterorum tuorum ut vindex fieres?*
*Tibi Paterque Avoſque facilem fecit, & planam viam*
*Ad quærendum honorem, tu feciſti ut difficilis foret,*
*Culpâ maximè & deſidiâ, tuiſque ſtultis moribus,*
*Præoptaviſti amorem tuum ut virtuti præponeres,*
*Nunc te hoc pacto credis poſſe obtegere errata:*
*Cape ſis Virtutem animo, & corde expelle deſidiam,*
*In foro operam amicis da, haud in lecto amicæ, ut ſolitus es;*
*Si iſtuc, ut conare, facis indicium, tuum incendes genus,*
*Tum igitur tibi aqua erit Cupido, genus quî reſtinguas tuum,*
*Ne ſcintillam quidem relinques, genus quî congliſcat tuum,*
*Is eſt honos homini pudico; meminiſſe officium ſuum.*

Reperatum urbi præfectum, Rex Athalaricus, quondam ita hortatus fuit; Redde laudes poſteris tuis, quas tu à majoribus accepiſti. At, proh inverſi mores,quotuſquiſque eſt, qui id cogitet? Partæ quiſque gloriæ potius ſecurè indormit, quàm de amplificandâ laboret. Hinc Nobiles multos videmus, & paucos, multi cinguli jus habent; pauci meritum. Satis beatos, ſatis illuſtres ſeſe exiſtimant,virtute patrum,non ſecus ac ſi fama eorum legari poſſet, & non quæri debeat. Hi ſunt, qui alios, omnia incrementa ſua ſibi debentes, præ ſe contemnunt: quos appoſitè hoc heroico dicto percutiemus: Meum genus à me incipit,tuum in te deſinit.Olim Anacharſis,exprobranti ſibi Attico cuidam,quòd Scytha eſſet; reſpondit; Mihi quidem probro eſt patria mea,ſed tu patriæ tuæ.Bradeæ etiam,jactanti apud populum nobilitatem ſuam; in calceis eam tantum habere fuit exprobratum. Antigonus; quum quidam fortiſſimi patris ignaviſſimus filius, ſtipendia patris rogaret; Ego,inquit,adoleſcens

propter

propter cujuſque fortitudinem, non propter paternam, ſtipendia numero. Et certè, quum in omni laude, vel exiſtimatione; illa propriè excutienda ſint, quæ cujuſque ſunt; & quum magnos homines non Fortunâ; ſed virtute metiri debeamus; quis tam perverſi animi ut Catonem Vatinio præferre dubitet? Quis fortem illum Iphicratem, & magnum bellatorem, cui nobiles non erant avi, nec fulgidum titulis genus, ſed clara virtus; Harmodio non præferat? Iuvenalis ita ſenſit;

*Malo pater tibi ſit Therſites, dummodò tu ſis* Sat. 8.
*Æacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas;*
*Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.*

Idem in eâdem Satyrâ;

*Hæc ſatis ad Iuvenem, quem nobis fama ſuperbum*
*Tradit, & elatum, plenumque Nerone propinquo:*
*——— Sed te cenſeri laude tuorum*
*Pontice noluerim; ſic ut nihil ipſe futuræ*
*Laudis agas; Miſerum eſt alienæ incumbere Famæ.*

Plutarchus; Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ ἐυδαίμονες υἱοὶ, quis patrem laudabit, niſi infœlices filij? Vt itaque finiam, & ad alia me conferam; hoc à Velleio Paterculo, tanquam ex Apollinis tripode accipe; Optimus quiſque nobiliſſimus, & in cujuſcunque animo virtus ineſt, ei plurimum eſt tribuendum;

*Virtute decet, non ſanguine niti.* Claud.

Et, non ſi magnus eris, bonus eris, ſed magnus ſi bonus. Nemo igitur deſperet; Bona enim Mens omnibus patet, omnes hâc ſumus nobiles, & Zeno.

*Nullus degener exſtat,*
*Ni vitijs pejora fovens,*
*Proprium deſerat ortum.*

Quia autē Salluſtij Marium, in principio hujus commentarij, citare cœpi; non potui non, totam ejus orationem, in quâ vera Nobilitatis origo deducitur; hîc addere. Tu Lector lege, & intellege.

*Scio, ego, Quirites, pleroſque non îſdem artibus imperium à vobis petere, &, poſtquàm adepti ſunt, gerere: primò induſtrios, ſupplices, modicos eſſe, dein per ignaviam & ſuperbiam ætatem agere. ſed mihi contrà videtur: nam, quo pluris eſt Reſp. quàm conſulatus, aut prætura, eò majore curâ ad-*

*miniſtrari, quàm hæc peti debere. neque me fallit, quantum cum maximo beneficio veſtro negotij ſuſtineam. bellum parare, ſimul & ærario parcere; cogere ad militiam eos, quos nolis offendere; domi, foriſq; omnia curare; & ea agere inter invidos, occurſantes, factioſos; opinione, Quirites, aſperius eſt. Adhoc, alij ſi deliquêre, vetus nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum & affinium opes, clientelæ multæ, omnia hæc præſidio adſunt. mihi ſpes omnes in memet ſitæ: quas neceſſe eſt & innocentiâ, & virtute tutari: nam alia infirma ſunt. Et illud intellego, Quirites, omnium ora in me converſa eſſe; æquos bonoſq; favere: quippe benefacta mea Reip. procedunt: nobilitatem locum invadendi quærere. quò mihi acrius adnitendum eſt, uti neque vos capiamini, & illi fruſtrà ſint. ita ad hoc ætatis à pueritiâ fui, ut omnes labores, pericula conſueta habeam. quæ ante veſtra beneficia gratuitò faciebam, ea uti, acceptâ mercede, deſeram, non eſt conſilium, Quirites. Illis difficile eſt in poteſtatibus temperare, qui per ambitionem ſeſe probos ſimulavere: mihi, qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benè facere jam ex conſuetudine in naturam vertit. Bellum me gerere cum Iugurthâ juſſiſtis: quam rem nobilitas ægerrimè tulit. quæſo, reputate cum animis veſtris, num id mutari melius ſit, ſi quem ex illo globo nobilitatis ad hoc aut aliud tale munus mittatis, hominem veteris proſapiæ, ac multarum imaginum, & nullius ſtipendij; ſcilicet uti tantâ in re ignarus omnium trepidet, feſtinet, ſumat aliquem ex populo monitorem officij ſui, ita plerumque evenit, uti, quem vos imperare juſſiſtis, is ſibi imperatorem alium quærat. At ego ſcio, Quirites, qui, poſtquàm Conſules facti ſunt, acta majorum, & Græcorum militaria præcepta legere cœperint, homines præpoſteri. nam gerere, quàm fieri, tempore poſterius, re atque uſu prius eſt. Comparate nunc, Quirites, cum illorum ſuperbiâ me hominem novum. Quæ illi audire & legere ſolent, eorum partem vidi, alia egomet geſſi. quæ illi literis, ea ego militando didici. nunc vos exiſtimate, dicta an facta pluris ſint. Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam. mihi fortuna, illis probra objectantur. quanquam ego naturam unam, & communem omnibus exiſtumo, ſed fortiſſimum quemque generoſiſſimum eſſe. ac ſi jam ex patribus Albini, ac Beſtiæ quæri poſſet, mène, an illos ex ſe gigni maluerint: quid reſponſuros creditis, niſi, ſeſe liberos quàm optimos voluiſſe? Quod ſi jure deſpiciunt me; faciant idem majoribus ſuis; quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. invident honori meo: ergo invideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cepi. verùm homines corrupti ſuperbiâ, ita ætatem agunt, quaſi honores veſtros contemnant: ita hos petunt, quaſi honeſtè vixerint. ne illi falſi ſunt, qui diverſiſſumas res pariter exſpectant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis. Atque etiam,*

*cùm*

*cùm apud vos, aut in Senatu verba faciunt, majores ſuos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores ſeſe putant: quod contrà eſt. nam, quantò vita illorum præclarior, tantò horum ſocordia flagitioſior. & profectò ita ſe res habet. majorum gloria poſteris lumen eſt, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur. Hujuſce rei ego inopiam patior, Quirites; verùm, id quod multò præclarius eſt, meamet facta mihi dicere licet. nunc videte quàm iniqui ſint. quod ex alienâ virtute ſibi arrogant, id mihi ex meâ non concedunt. ſcilicet quia imagines non habeo, & quia mihi nova nobilitas eſt. quam certè peperiſſe melius eſt, quàm acceptam corrupiſſe. Equidem ego non ignoro, ſi jam mihi reſpondere velint, abundè illis facundam, & compoſitam orationem fore. ſed in maxumo veſtro beneficio, cùm omnibus locis me, voſq; maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modeſtiam in conſcientiam duceret. nam me quidem, ex animi ſententiâ, nulla oratio lædere poteſt. quippe vera, neceſſe eſt benè prædicet: falſam vita, moreſque mei ſuperant. ſed quoniam veſtra conſilia accuſantur, qui mihi ſummum honorem, & maxumum negotium impoſuiſtis: etiam atque etiam reputate, num id pœnitendum ſit. Non poſſum, fidei cauſſâ, imagines, neque triumphos, aut conſulatus majorum meorum oſtentare: at, ſi res poſtulet, haſtas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea cicatrices adverſo corpore. hæ ſunt meæ imagines, hæc nobilitas, non hereditate relicta, ut illa illis, ſed quæ ego plurimis meis laboribus & periculis quæſivi. Non ſunt compoſita verba mea: parum id facio. ipſa ſe virtus ſatis oſtendit: illis artificio opus eſt, ut turpia facta oratione tegant. neque litteras Græcas didici. parum placebat eas diſcere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. at illa multò optuma reip. doctus ſum, hoſtes ferire, præſidia agitare, nihil metuere, niſi turpem famam: Hiemem & æſtatem juxtà pati, humi requieſcere; eodem tempore inopiam & laborem tolerare. his ego præceptis milites hortabor: neque illos arctè colam, me opulenter; neque gloriam meam laborem illorum faciam; hoc eſt utile, hoc civile imperium. namque, cum tute per mollitiem agas, exercitum ſupplicio cogere, hoc eſt, dominum, non imperatorem eſſe. hæc, atque talia majores veſtri faciundo, ſeq;, remq; publicam celebravêre. quîs nobilitas freta, ipſa diſſimilis moribus, nos illorum æmulos contemnit; & omnes honores non ex merito, ſed quaſi debitos à vobis repetit. cæterùm homines ſuperbiſſimi procul errant. Majores eorum omnia, quæ licebat, reliquêre, divitias, imagines, memoriam ſui præclaram: virtutem non reliquere, neque poterant: ea ſola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me, & incultis moribus ajunt, quia parum ſcitè convivium exorno, neque hiſtrionem ullum, neque pluris pretij cocum, quàm villicum habeo,*

*habeo, quæ mihi lubet confiteri, Quirites. nam & ex parente meo, & ex alijs ſanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusq́; bonis oportere plus gloriæ, quàm divitiarum eſſe. Quin ergo, quod juvat, quod carum æſtimant, id ſemper faciant: ament, potent: ubi adoleſcentiam habuêre, ibi ſenectutem agant, in convivijs, dediti ventri, & turpiſſimæ parti corporis: ſudorem, pulverem, & alia talia relinquant nobis, quibus ea epulis jucundiora ſunt.*

# Quod citò fit, citò perit.

## *EMBLEMA XXI.*



*Quò flamma fumo clarius ſeſe exerit;*
*Hòc eſt minus vivacior;*
*Namque imminentis finis, eſt maturitas*
*Præcurſor, atque nuncius:*
*Raro perennat ingenii præcox vigor,*
*Puerque qui ſpirat virum.*

### COMMENTARIVS.

QVintilianus inquit; præcox illud ingeniorum genus rariſſimè pervenire ad frugem: & vulgò aſſerunt; qui pueri adhuc, & uſque à cunabulis ſapiunt, ſcientiaſque

 ad ſuo-

ad ſuorum menſium calculos numerant; eos vel citò occidere; vel in illam ſtultitiam, quam infantes declinarunt; ſenes incurrere. Quod Actius approbare videtur, qui apud Aulum Gellium ait; ſibi in juvenilibus ingenijs, itidem ut in pomis immaturis, placere acerbitatem; nam hæc demum matureſcunt. Porrò maturitas tempeſtivam adfert ſuavitatem, reliqua antè tempus putreſcunt. Fœminæ quæ maturius pariunt, citius ſeneſcunt: Velut in Calignis, Indiæ gente, quinquennes pariunt, & octavum annum non excedunt. Floret prima Amygdalus, poſtrema parit. Salix citò ſemen profert, & perdit. Itidem nimis præcocia illa ingenia, quæ animalibus iſtis, quæ ἡμερόβια vocamus, penè ſunt ſimilia; tam properè occidunt, quàm naſcuntur. Leonis catuli informes naſcuntur, via egrediuntur ſemeſtres, non moventur, niſi bimeſtres; ita etiam, quæ egregia futura ſunt, ſerò proveniunt, & lentis auctibus abſolvuntur. Scivit hoc
In Apol. 2. Apuleius, quum diceret; odi puerulum præcoci ſapientiâ, quem cum Sophocle ἀνδρόπαιδα vocare poſſumus. Cur autem præcocia illa ingenia raro diuturna ſint; hæc (ni fallor) cauſa eſt; quia, quicquid ad ſummum pervenit, tendit ad exitum. Nec ultimum tempus exſpectant, quæ primo Vere maturuerunt; In rerum natura celer, nimiſque præcox cucurbita ſe in altum cacumen brevi admodum temporis ſpatio effert, & quum de ſe quid magni promittere videtur, deficit. Sic ingenia quò illuſtriora ſunt, eò breviora; Nam ubi incremento locus non eſt, vicinus adeſt occaſus. Difficilis in perfecto mora eſt, naturaliterque, quod procedere non poteſt, recidit.

Typus

# Typus Regis.

## EMBLEMA XXII.



*Excubias grus ſola gerit, pars cætera dormit*
*Tuta, nec inſidos ſperat ab hoſte dolos:*
*Grus notat hæc Regem, vigilantem pro grege, qui ſi*
*Dormiat; incautum vaſtet ovile lupus.*

### COMMENTARIVS.

PLinius Naturalis Hiſtoriæ Lib.x. Cap.xxiii. hæc ſequentia de Gruibus commemorat: Inducias habet gens Pygmea, abſceſſu Gruum cum ijs dimicantium. Immenſus eſt tractus quò veniunt, ſi quis reputet, à mari Eoo. Quandò proficiſcantur conſentiunt; volant ad proſpiciendum, altè, Ducem, quem ſequantur eligunt; in extremo agmine, per vices qui

 excla-

exclament diſpoſitos habent, ut gregem voce contineant. Excubias habent nocturnis temporibus. Excubitor lapillum pede ſuſtinet, qui laxatus ſomno, & decidens, indiligentiam coarguat. Cæteræ dormiunt capite infrà alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Dux erecto providet collo & prædicit. Hæc ille: Quibus typum nobis, & ſubditorum, & veri Regis, proponit. Vt enim Dux ille Gruum, alijs dormientibus, erecto collo providet: ſic verum Regem, pro ſubditis vigilantẽ, & oculatum πρόσσω, καὶ ὀπίσσω, id eſt, à fronte, & à tergo (ſecundũ Homerum) eſſe oportet: & (ut Plautus in Aululariâ inquit) in occipitio quoque habere oculos debet. Plutarchus in Commentario de Iſide & Oſiride refert; in Hieroglyphicis Ægyptiorum picturis, Regis ſimulachrum fuiſſe Oculum: quo ſcilicet vigilantia, cum rectâ, juſtâque rerum adminiſtratione, ſignificabatur. Hinc Græci ἄνακτας reges dixerunt, ut Plutarchus interpretatur, ἀπὸ τοῦ ἀνακῶς ἔχειν, quod eſt curam gerere: Imperator Iuſtinïanus memor fuit; dum ait, ſe noctes ducere inſomnes; ut quietem poſteris præparet. Et Silius Italicus inquit;

In præfat. Novell. 8. in princ.

Lib. 3.

*Turpe duci totam ſomno traducere noctem,*
*O Rector Lybiæ vigili ſtant bella magiſtro.*

Eſt enim Rex, quemadmodum Plato in Politicis aſſerit ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων, id eſt, Deus quiſpiam humanus, qui eligitur, non ut ſe molliter curet, ſed ut per ipſum, ij qui elegerunt, benè beatèque agant. Malè ille ſe gerit, qui ex magnâ Fortunâ licentiam tantum uſurpat; qui non curis intentus, ſed ſtupris, & adulterijs principem agit, at verus, bonuſque, ſciat, maximo imperio maximam curam ineſſe. Cumque ſit ποιμὴν λαῶν; ſcire debet; civium non ſervitutem ſibi traditam, ſed tutelam, nec Rempublicam ſuam eſſe, ſed ſe Reipublicæ. Monet hoc Poëta:

Homerus.

Lucanus lib. 9.

*Tu civem, Patremque geras, tu conſule cunctis,*
*Non tibi; nec tua te moveant, ſed publica damna.*

Ille vitâ ſuâ & moribus alijs præeat; quia

Claud.

*Non ſic inflectere ſenſus*
*Humanos Edicta valent, quàm vita regentis.*

Exemplo Catonis, qui

*Ipſe manu ſua pila gerens, præcedit anheli*
*Militis ora pedes, monſtrat tolerare labores;*
*Non jubet, & nullâ vehitur ſervice ſupinus,*

Carpen-

*Carpentoque ſedens, ſomni parciſſimus ipſe eſt,*
*Vltimus hauſtor aquæ, quum tandem fonte reperto,*
*Indiga cogatur latices potare juventus,*
*Stat dum lixa bibat:*

Benè mehercules: Facta enim Regum, & Principum, juſſa ſunt: Tacita hæc lex eſt, hæc conditio Principum, ut quicquid faciant, præcipere videantur, &, rectè facere cives ſuos, faciendo doceant. Sit itaque continuis laboribus intentus; Noctes omnes, dieſque perpeti ſollicitudine pro ſalute omnium cogitet, quod breviter illius munus eſt, & in fine finis. Quintilianus Decl. 4.

# Sapiens, quò fœlicior; eò modeſtior.

## EMBLEMA XXIII.



*Quò ſe quadrigis altius tollit ſuis,*
*Diale lumen Cynthij;*
*Hòc & vagantum de ſuis rotis jacit*
*Vmbras minores corporum.*
*Benè præparatum pectus, & prudentiæ*
*Succis recoctum; quò magis*
*Fortuna vultu lubrico favet, catè*
*Hòc ſe gerit ſubmiſſius.*

COM-

## COMMENTARIVS.

HOc Emblemate proponitur veri Sapientis animus; qui,quemadmodum Sol, dum in meditullio cœli conſiſtit, exiguas jacit tenebras; ita etiam, quò altius eum Fortuna evexit,hòc magis ſe reprimit, ſciens omnium extrinſecus advenientium bonorum lubricam, & incertam eſſe poſſeſſionem,ſæpèque Dominum ſuum mutantem. Cautus gubernator in tranquillitate tempeſtatem,in tempeſtate tranquillitatem exſpectat; hunc etiam imitatur Sapiens, qui

*Rebus anguſtis animoſus, atque* Horat. in Odis.
*Fortis apparet, ſapienter idem*
*Contrahit vento nimium ſecundo*
*Turgida vela.*

Contrà inſolentes illi, &, dulci Fortunâ ebrij, cum Pindarico Olymp. illo Tantalo μέγαν ὄλβον καταπέψαι οὐ δύναντω, id eſt, magnam fœ- ode.1. licitatem concoquere non poſſunt. Et ut quivis non facile multum vini fert; ſic hi non abundantem Fortunam. Quicquid leve eſt in animo; ſecundâ ſe aurâ ſuſtollit. Statuunt cũ Plautino illo

*Secundas Fortunas decere ſuperbias.* In Sticho.

Talem animum ſic perſtrinxit Archidamus Ageſilai filius, qui cum, poſt conflictum apud Cheronæam habitum, litteras à Philippo Macedonũ Rege acerbius ſcriptas accepiſſet, Reſpondit; Si metieris umbram tuam, haud quaquam reperies illam factam majorem, quàm erat ante victoriam. Sapiens longè aliter, qui in hâc rerum affluentiâ modeſto, compoſito, & bene ordinato eſt animo, altè ſibi hoc Terentij imprimens,

*Ah Demea, hoc tu facito, ut tecum animo cogites;* In Adelph.
*Quàm vos facillimè agitis, quum eſtis maximè*
*Potentes, dites, fortunati, nobiles,*
*Tum maximè vos æquo animo æqua noſcere*
*Oportet, ſi vos vultis perhiberi probos.*

Etenim habet has vices conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ſecunda ex adverſis naſcantur: Si quis lætioris Fortunæ radius affulget, ecce minantis & novercantis ſimul umbra adeſt, & veſtigia premit, aut excipit,

*Ita Dijs placitum, voluptati ut Moeror comes conſequatur,*
*Quin incommodi plus, malique illicò adſit, boni ſi quid obtigit.*

Quid

Boëtius lib. 2. Proſ. 2.

Quid Tragœdiarum clamor aliud deflet, niſi indiſcreto ictu Fortunam fœlicia regna evertentem? Hinc pleroſque veterum Sapientum, memoriæ proditum eſt exoptaſſe, ut inter ſecundos proſperoſque ſucceſſus, nonnihil adverſi ſibi eveniret. Quod nequaquam ratione caruit: tum ne elato nimis animo pellaciſſimi monſtri Fortunæ mole corruerent; tum quòd ita judicarent ejus vitæ, cujus tractus nullam habuiſſet offenſionem, miſerrimum exitum aliquando eſſe reſervatum. Cujus rei Homerum quoque teſtem habemus, qui eo in cœli limine, unde animas noſtras ad decurrendum ætatis hujus ſpatium dimitti putavit, duas conſtituit urnas: alteram bonis omnibus refertam, alteram malis: Quæ pro beneplacito mixta, Iuppiter diſtribuit, cuicunque Bonoque maloque. Et Chilon dicere ſolebat, Deum τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῦν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῦν, id eſt, erecta dejicere, dejecta erigere. Hodie magnus es, cras alius, aut nullus. Iugurtham in carcere, Perſeum in cuſtodiâ objiſſe ſcimus. Quæ denique potentia eſt, cui non parata ſit ruina, proculcatio, dominus, & carnifex? Nec magnis iſta intervallis diviſa, horæ momentum intereſt inter ſolium, & aliena genua. Locuples es? nunquid ditior Pompeio? cui cum Cajus vetus cognatus, novus hoſpes, aperuiſſet Cæſaris domum, ut ſuam clauderet, defuit panis & aqua, quũ tot flumina poſſideret in ſuo orientia, in ſuo cadentia, mendicavit ſtillicidia; fame ac ſiti perijt in palatio cognati, dum illi hæres publicum funus eſurienti locat. Honoribus ſummis functus es? nunquid aut tam magnis aut tam inſperatis quàm Seianus? Quo die illum Senatus deduxerat, populus in fruſta diviſit: in quem quicquid congeri poterat Dij hominesque contulerant, ex eo nihil ſuperfuit, quod Carnifex traheret. Rex es? non ad Cræſum te mittam, qui rogum ſuum & accendi & extingui vidit; factus non regno tantum, ſed etiam morti ſuæ ſuperſtes. Ptolomæum Africæ regem, Armeniæ Mitridatem, inter Caianas cuſtodias vidimus, alter in exſilium miſſus eſt, alter ut meliori fide mitteretur optabat. In tantâ rerum ſurſum ac deorſum euntium verſatione, ſi non quicquid fieri poteſt, pro futuro habes; das in te vires rebus adverſis, quas infregit quiſquis prior vidit. Idcircò

Seneca de Tranq. Animi.

Claud. lib. 2 in Ruff.

*Deſinat elatis quiſquam confidere rebus,*
*Inſtabileſque Deos ac lubrica Numina diſcat.*

Illa

*Illa manus, quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat,*
*Cujus ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex*
*Nobilitas, inhumata diu, miſeroque revulſa*
*Corpore, feralemq; quæſtum poſt fata popoſcit.*
*Aſpiciat, ne quis nimium ſublata ſecundis*
*Colla gerat, trivijs calcandus ſpargitur ecce,*
*Qui ſibi Pyramidas, qui non cedentia templis*
*Ornatura ſuos exſtruxit culmina manes.*
*Et qui Sydonio velari credidit oſtro,*
*Nudus paſcit aves: jacet en, qui poſſidet orbem,*
*Exiguæ telluris inops, & pulvere raro*
*Per partes tegitur, nuſquam, totieſque ſepultus.*

# Ars Naturam juvat.

## EMBLEMA XXIV.



*Sponte ſuâ unigenum fert tantum Arbuſcula fructum;*
*Aſt eadem varios inſitione parit:*
*Naturam quicunque rudem non excolit, ille*
*Semper idem eſt; cultu fit ſibi diſſimilis.*

## COMMENTARIVS.

CVm tota ratio fœlicitatis humanæ, his tribus potiſſimum rebus conſtet; Naturâ, Ratione, & Exercitatione: & Natura ſit docilitas ac propenſio nobis inſita, ad res honeſtas; Ratio, doctrina quæ monitis conſtat & præceptis; Exercitatio, uſus ejus habitus, quem Natura, ſive Deus nobis inſevit; vehementer mediusfidius mihi errare videntur; qui

qui ſatis eſſe putant naſci, cœcamque naturam in tenebris ſuis marcere, & torpere ſinunt. Vt enim fructus aut unius tantum generis, aut utplurimum inſipidos gignit arbor, citrà curam inſitionis; ut agri non ſolum nullas fruges, ſed tribulos, carduos & lolium producunt, ſi non excolantur, exculti verò innumera & varij generis frumenta pariunt: ſic homo, niſi Naturam, nobile illud Dei depoſitum, doctrinâ excolat, tanquam rudis maſſa, & cui nulla forma eſt inducta, in hoc mundi theatro verſatur; ſecus in ſe uno omnia habet, nullaque eſt diſciplina quam non apprehendat, ſi præceptionibus, & exercitatione inſtiterit. Omnibus enim Deus (ut Seneca inquit) fundamenta dedit, ſemenque virtutum, quod doctrinâ ſuſcitatur, non ſecus ac ſcintilla, levi flatu adjuta, ignem ſuum explicat. Teſtatur id Boëtius,

*Intus eſt hominum vigor*
*Arce conditus abditâ.*

Et alio loco idem,

*Hæret profectò ſemen introrſum Veri*
*Quod excitatur ventilante doctrinâ,*
*Nam cur rogati ſponte recta cenſetis*
*Ni merſus alto viveret fomes corde?*
*Et ſi Platonis Muſa perſonat verum,*
*Quod quiſque diſcit, immemor recordatur.*

Libet hîc addere elegantiſſimos magni illius Scaligeri verſus;

*Iſtos animi igniculos, ſeminaria iſta,*
*Queis ſevit agros ingeni, beata rerum*
*Natura parens, ſtudijs augeſcere par eſt,*
*Aut ſplendor abit perditus ærugine tetrâ.*

Indigni certè tantis Dei muneribus qui hæc negligunt & putreſcere ſinunt, quum alioqui, ſi bonus cultor ea excepiſſet, ſimilia origini ſuæ divinæ prodijſſent, & paria his, ex quibus orta ſunt, excreviſſent: nunc, quia colonum negligentem ſortita ſunt, necantur, & purgamenta pro frugibus pariunt. Apuleius aſſerit hominem nec perfectè bonum, nec malum naſci, ſed utriuſque ſemina ei à naturâ indita, quæ inſtitutione in hanc, vel illam partem emicant. Vide quantum valeat ille cultus, cui (quod Demoſthenes de Pronunciatione dicebat) prima, ſecunda, & tertia debentur. Quamvis autem Natura quoſdam à ſe

impetus ſumat; excolendo tamen perficienda eſt. Dicet hoc Romanæ fidicen Lyræ;

*Doctrina ſed vim promovet inſitam,*
*Rectique cultus pectora roborant.*

Animadvertit & hoc Vegetius in Militari ſuâ doctrinâ, dum ait; Paucos viros fortes natura procreat, bonâ inſtitutione plures reddet induſtria. Hæc eſt, quæ Elephantem faciat funambulum, morionem Aſinum. Et ad quid non fingat hominem, animal omnis Diſciplinæ capax? Vincamus itaque, aut ſaltem adjuvemus, Naturam diligentiâ, excludamus torporis ſomnium.

# Rationis cum Affectibus bellum.

*EMBLEMA XXV.*



*Vt dira Serpens ſemper in ſolo repens,*
*Ciconiæ perenne concitat bellum;*
*Sic vilis illa turba Mentis, Affectus,*
*Rationis altæ regium impetunt callem.*

## COMMENTARIVS.

EX hieroglyphicis ſculpturis, petitum Emblema. Ægyptij enim, quum internum illud Affectuum cum Ratione bellum deſignarent; Serpentem cum Ciconia belligerantem depingebant. Scribit autem Plinius Naturalis Hiſtoriæ Lib. x. Cap. xxiii. Ciconias eſſe Serpentum exitium, eâque de cauſâ tantum eis honoris haberi ſolitum, ut in Theſſaliâ capi-

tale fuerit occidiſſe Ciconiam. Notamus verò & nos, cum Ægyptijs, per hoc Emblema, Affectuum cum Ratione prælium; quo nec periculoſius aliud, quia occultum, & domeſticum, nec ſævius, quia cum plus quàm Cadmeis hoſtibus, nec unde major gloria, quia nobiſcum eſt. Etenim voluptatem viciſſe, voluptas maxima eſt, nec ulla major eſt victoria, quàm ea, quæ de cupiditatibus noſtris refertur. Qui hoſtem vicerit illo fortior fuit; qui libidinem repreſſit ſeipſo fortior fuit. Porrò nemini ignotũ eſt; Hominem eſſe prodigioſum quoddam animal, conſtans duabus partibus, Animâ ſcilicet, & corpore, illâ velut numine quodam, hoc tanquam vili pecude. Siquidem corpore uſque adeò reliquo brutorum generi non præſtamus, ut omnibus dotibus non inveniamur inferiores; Animâ verò, adeò divinitatis ſumus capaces, ut ipſas etiam Angelicas mentes liceat prætervolare. Iunctæ hæ inter ſe ſunt partes, ſed concordiâ quâdam diſcordi; nec facile inter eas convenit; utique cum de imperio agitur, aut ſervitute; regere enim utraque vult, & magis illa, quæ non debet. Terra attollere ſe ſuprà ignem ſuum conatur, & cœnum hoc, ſuprà cœlum. Anima, generis ætherei memor, contrà ſtat, *Et ſecretam gannit in aurem:* Hinc perplexa inter ſe tumultuantium ſeditio. Neque verò hanc diſcordiam, fabuloſus ille Poëtarum Prometheus, nobis inſeruit, adjunctâ menti noſtræ, de quoque animante particulâ; ut ſenſit Horatius, quum inquit,

Erasm. in Mili. Christ. — Lipſ. in Conſt. — Perſius Satyr. 5.

*Fertur Prometheus addere principi*
*Limo coactus particulam undique*
*Diſſectam, & inſani Leonis*
*Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro;*

Neque primitiva conditio hæc indidit; ſed peccatum, quod benè conditum erat, malè depravavit. Anteà Mens Corpori ſine negotio imperabat, illud verò promptiſſimè parebat; nunc inverſo ordine, quod parere debet, regere inſtituit, miraſque tragædias ac pugnas ciet. Quarum domitorem, ſummus ille Imperator, dedit Rationem, cui origo à Cœlo eſt; ut meritò ita magnificè eam Seneca celebrarit; Partem in homine divini ſpiritus merſam: Et Auguſtinus; Aſpectum mentis, qui bonum, malumque diſcernit, virtutes eligit, Deum diligit. Hæc tanquam Regina ſupremam capitis arcem tenet, nihil ſordidum, nihil humile volvens;

Lib. de Spirit. & Anim.

Hanc

*Hanc ſummâ capitis fundavit in arce* Claud.
*Mandatricem operum, proſpectricemque laborum;*

Habetque, ita conſtitutus ille Dictator, ſub ſe Rempublicam, conſtantem ex varijs ſubditorum generibus. Quos Affectus licebit intelligas. Hi ſunt Iraſcentia, quam procul à Ratione, ad domicilium cordis deduxerunt Filij Deorum, obſequique eam, & reſpondere in loco ſapientiæ juſſerunt; præterea Cupido, atque Appetitus, quos infernas abdominis ſedes tenere, ut popinas quaſdam, & latrinarum latebras, diverſoria nequitiæ, atque luxuriæ, præceperunt, ideòque longiùs hos à ſapientiâ relegatos voluerunt, ne importuna vicinitas Rationem conſtitutam cunctorum ſaluti, in ipſâ cogitationum utilitate turbaret. Quod ſi fiat (ut ſæpiſſimè per cuniculos tentant) ilicet actum eſt, perijmus. Quicunque enim Rationem abjecerit, & hæc præſentia ſecutus, in humum ſe ipſe proſtraverit, ut deſertor Domini, Imperatoris, & Patris ſui punitur. Reſiſtamus itaque huic hoſti Ratione, quæ nos inſeparabilis comes ad Deum ſola perducet; &, Apul. lib de Dogm. Plat. Lactant.

*Dum ſpiritus hos reget artus,* Virgil.

infatigabili militiâ Deo militemus, ſtationes, vigiliaſque celebremus. Congrediamur cum hoſte quem novimus fortiter, ut victores, ac devicto adverſario triumphantes, præmium Virtutis, quod ipſe promiſit, à Deo conſequamur.

In

# In miſerrimam Tyrannorum vitam.

## *EMBLEMA XXVI.*



*Miſer Tyrannus, cujus enſis imminet*
*Dependulus cervicibus;*
*Medijs in undis aret, & plumæ leves*
*Non elaborant ſomnulum.*
*Mentis tumultus ſubmovere turbidos,*
*Non gaza, nec lictor valet.*

## COMMENTARIVS.

Tull. Tuſcul. lib. 5.

Dionyſius Tyrannus, olim aliquo admirante fœlicitatem regiam, & copias, opes, majeſtatem illius dominatus prædicante: aureum lectum ſterni curavit, & in eo hominem

hominem poni; abacoſque complures ornavit argento, auroque cœlato, tum ad menſam eximiâ formâ pueros delectos juſſit conſiſtere, aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis inſtruebantur: Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari, ſetâ equinâ appenſum, demitti juſſit, ut impenderet illius beati cervicibus. Ille nec pulchros illos adminiſtratores adſpiciebat, nec plenum artis argentũ, nec manum porrigebat in menſam: jam ipſæ defluebant coronæ; denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quòd jam beatus nollet eſſe. De quo ſic Perſius,

*Et magis auratis pendens laquearibus enſis* Satyr. 3.
*Purpureas ſubter cervices terruit:*

Et Horat.

*Diſtrictus enſis cui ſuper impiâ*
*Cervice pendet, non Siculæ dapes*
*Dulcem elaborabunt ſoporem,*
*Non avium citharæque cantus*
*Somnum reducent, ſomnus agreſtium*
*Lenis virorum.*

Hoc pacto docuit Tyrannus quàm miſera, quàmque omnibus periculis expoſita ſit Tyrannorum vita; quorum ſi mentes (ut 6. Annal. Tacitus inquit) recludantur, poſſent aſpici laniatus & ictus; ſi quidem ad omnes ſuſpiciones pavidi ſunt, ut qui

*Muniti gladijs vivunt ſeptique venenis.* Claud.

Hanc ob rem ſuibus ſimiles eſſe Tyrannos Ælianus ſcribit, quas In Hiſt. ſi quis tetigerit, protinus clamare incipiunt, mortẽ ſcilicet ſomniantes, cum nec vellera habeant, nec lac, nec aliud quicquam Animal. præter carnes: Sic Tyranni omnia metuunt, ſcientes, quòd, ſicuti ſues, ita & ipſi omnibus vitam debeant. Dicebat ille, neminem tantæ futurum dementiæ, qui diadema humi projectum, tolleret, ſi ſciret quantum curarum agmen ſecum traheret. Aſſerit hoc Seneca Trag.

*O Regnorum magnis fallax*
*Fortuna bonis; in præcipiti*
*Dubioque nimis excelſa loco.*
*Nunquam placidam Sceptra quietem*
*Certumve ſui tenuêre diem,*

*Alia ex aliis cura fatigat,*
*Vexatque animos nova tempeſtas.*
*Non ſic Lybicis Syrtibus æquor*
*Furit alternos volvere fluctus;*
*Vt præcipites Regum caſus*
*Fortuna rotat. Metui cupiunt*
*Metuique timent. Non nox illis*
*Alma receſſus præbet tutos,*
*Non curarum ſomnus domitor*
*Pectora ſolvit.*

Et idem in Oedipo,

*Quiſquamne regno gaudet? O fallax bonum,*
*Quantum malorum fronte quàm blandâ tegis?*
*Vt alta ventos ſemper excipiunt juga:*
*Imperia ſic excelſa Fortunæ ſubjacent.*

Perſ. At dicat aliquis; Pulchrum eſt monſtrari,& dicier hic eſt, ſtipari ſervis, vehi aureâ lecticâ, gentibus denique omnibus Fortunam dare: O miſer, neſcis quantum illa bona, per omnes terras fulgentia, ſudoris habenti exprimant, quantum occultarum ſollicitudinum tegant. Bonus Rex (ut dicebat ille) ſervus publicus eſt. Cumque omnium occupatio ſit miſera, Regum tamen eſt Seneca. miſerrima, utpote qui non modò ſuis occupationibus laborant, ſed ad alienam quoque ſervitutem excubant. Stipantur à ſervis, hominibus ut plurimum infidis, qui, quia eos timent, etiam oderunt:

Seneca.

*Tu quicunque es qui ſceptra tenes,*
*Licet omne tuâ vulgus in aulâ*
*Centum pariter limina pulſet,*
*Cum tot populis ſtipatus eas,*
*In tot populis vix una fides.*

Meritoria ſalutatio eis adfertur à clientibus, purpuræ cultoribus, muſcis unctum comitantibus, ſiccum Regem deſtituentibus. Accedunt eos fallaces paraſiti, qui (ut Plautus ait) illos intrà dentes concluſos gerunt. Timentur à ſubditis, ſed hos intereà etiã timent. Ita enim natura conſtituit; ut quicquid alieno metu magnum eſt, à ſuo non vacet. Quæ autem eſt hæc poteſtas, quæ ſollicitudinum morſus, formidinumque aculeos vitare nequit? Vellet Rex ſecurus vivere; ſed nequit. An verò potentem cenſes,

In Trinummo.

Boët. lib. 2. de Conſ. Ph.

cenſes, quem vides velle, quod non poteſt efficere? qui ſatellite latus cingit? qui, quos terret, plus ipſe timet? qui ut potens eſſe videatur, in ſervientium manu ſitus eſt? Hæc regnantium plurimi adverterunt, inter quos Alexander, qui eximius Monarcha ad Diogenem, doliarem vitam agentem, ita dixiſſe fertur, Niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem:

*Senſit Alexander teſtâ cum vidit in illâ* Iuvenalis Satyr. 14.
*Magnum habitatorem, quantò fœlicior hic qui*
*Nil cuperet, quàm qui totum ſibi poſceret orbem.*

Vidit & hoc Tiberius, cùm diceret, experiendo ſe didiciſſe, quàm arduum, quàmque Fortunæ ſubjectum eſſet regendi onus. Divus Auguſtus, cui Dij plura, quàm ulli præſtiterunt, (Seneca de brevit. vit. cap. 5.) non deſijt quietem ſibi precari, vacationem à Repub. petere. Omnis ejus ſermo ad hoc ſemper revolutus eſt, ut ſibi ſperaret otium. Quod illi, tam eximia res, viſum fuit, ut, quia uſu non poterat, cogitatione præſumeret.

*O vitæ tuta facultas* Lucan. lib. 3
*Pauperis, anguſtique laris, O munera nondum*
*Intellecta Deûm.*

# Semper pueri.

## EMBLEMA XXVII.



*Rixantur pueri, ſi quis lapideſve muceſve*
*Auferat, & ſemper vilia quæque ſtupent;*
*Nos etiam pueri, qui, donec vita ſuperſtes,*
*Propter opes luteas digladiamur humi.*

## COMMENTARIVS.

VEriſſimè Seneca inquit, Non bis pueri ſumus, ut vulgò dicitur, ſed ſemper, verũ hoc intereſt quòd majora nos ludimus. Majora? immò minus ferenda. Quis enim poſt juventam, graveſque annos, tantam animi cœcitatem, & dementiam, quantam circumferimus, in nobis toleret? Quis non naturæ monſtra, pueros cum rugis, & canis, nos appellet?

Pueris

Pueris crepundiorum, talorum, nucum, & æris minuti avaritia eſt, pro his levibus inter ſeſe quàm graviſſimas iras gerunt. Qua propter? quia enim qui eos gubernat animus infirmum gerunt: Itidē nos pro auro argentoque maximum ſæpe bellum ſuſcipimus. Hæc vires noſtras atque opes vocamus, hæc ſunt quæ nos ſeneſcere cogunt, opinione noſtrâ cara, pretio ſuo vilia. Subitò enim, ſi bene expendimus, effluunt, repentè dilabuntur, nullo in loco, nullâ in perſonâ ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt. Hæc ſunt quæ in aliena littora impingunt, quæ nos mittunt ad longinqua loca, & errantia, cum poſſimus fœlicitatē domi promere. Ergo par pueris, longiuſque progreſſis, ſed in alijs, majoribuſq; error eſt. Sic rerum verſa conditio eſt, ut nos divinum, Boëtius, merito Rationis, animal, non aliter nobis ſplendere, niſi inanimatæ ſupellectilis poſſeſſione videamur. Aurum argentumque, & propter iſta nunquam pacem agens ferrum, quæ naturæ con- Seneca. ditor Deus, tanquam malè nobis committeret, abſcondidit, nos in lucem proferimus, certiſſima auctoramenta noſtrarum ſervitutum, nec erubeſcimus ſumma apud nos habere; quæ ima terrarum fuerant. Ah quàm non intelligimus quantam conditori noſtro faciamus injuriam? Ille genus humanum terrenis omnibus præſtare voluit, nos dignitatem noſtram infrà quæque infima detrudimus. Quique cœli amorem profeſſi ſumus, tanto tamque peregrino faſce gravamur, ut, dum in altum niti volumus, incurvemur, & pro cœlo terra nobis ſit. I nunc, & Boëtius. præclaram opum mortalium beatitudinem dicas, quam cum adeptus fueris, immortalium fœlicitatem amittis. Quin potius intende oculos mentis, ut appareat quæ bona, quæ mala ſint. Sepone reginam mundi ſtultitiam, cui familiare eſt, ut quarum rerum minor eſt fructus, earum & cupiditas, & delectatio ſit major. Vt verè dixerit Socrates, Ridere ſemper Deos, cum vana hæc cupiditatum inſpiciunt.

# Mora nocet.

## *EMBLEMA XXVIII.*



*Natura Echini talis eſt, ut indies*
*Differre tentet horridum partus diem,*
*Tandemque ſpinis prolis excreſcentibus*
*Magno gravique cum dolore parturit:*
*Ignava mens mortalium & cœli ſui*
*Oblita; differt indies vitam ſuam,*
*Sibique ſemper blandiens, malis mala*
*Coacervat, & ſic preſſa diffidit ſibi,*
*Aut cum labore maximo ſeſe explicat.*

COM-

## COMMENTARIVS.

AIunt Echinum terreſtrem ſimulatâ alvo remorari partum, deinde jam aſperiore ac duriore facto fœtu morâ temporis, majore cum cruciatu parere. Huic animali non abſimilis eſt humani ingenij perverſitas, & voluntarius furor, qui, quamvis ſit brevis vitæ, & ipſa brevitas ſemper incerta, indies tamen pœnitentiam (quam divus Auguſtinus definit, quandam dolentis vindictam, punientem in ſe quod dolet commiſiſſe) differt, ſemperque peccata peccatis accumulat, adjungens etiam ijs, quod plus quàm conclamatæ nequitiæ eſt, patrocinia defenſionis. Intereà autem fit, ut hominem in ijs ſeneſcentem, quandò jam peccare ampliùs non poteſt, peccata ipſum dimittant, non ipſe ipſa, & ſic mors imparatum opprimat, aut innumero malorum numero gravatus, deſperet, aut ægerrimè cum Echino ſeſe exoneret & explicet. Auctor Suidas.

*Facilis* (enim) *deſcenſus Averni,* Virgil.
*Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras*
*Hoc opus, hic labor eſt.*

Benè Auguſtinus infert, Ex voluntate perverſâ eſt libido, & dum ſervimus libidini, fit conſuetudo, conſuetudo autem cui non reſiſtitur fit neceſſitas, quibus quaſi anſulis ſibimet connexis inſtar catenæ, tenet nos dura ſervitus. Quam tamen, ut idem monet, excutere debemus. Quia pejus eſt nunquam, quàm ad veſperam expergiſci, & quicquid malè differtur, pejus omittitur. Vltimum autẽ malorum omnium eſt deſperatio, ad quam nemo niſi ante tempus acceſſit. Nullum eſt tam magnum peccatum, quin major ſit miſericordia Dei:

Seneca, *Quem pœnitet peccaſſe, pœnè eſt innocens,*
*Nam ſera nunquam eſt ad bonos mores via.*

Ovid. *Numen confeſſis aliquod patet.* Lib. 10. Metam.

Principijs autem obſtare, Sapientis eſt.

Ovid. *Vtile propoſitum eſt ſævas extinguere flammas,* De Rem. Amor.
*Nec ſervum vitijs pectus habere ſuum:*
*Principijs obſta, ſerò medicina paratur*
*Cum mala per longas invaluère moras.*
*Sed propera, nec te venturas differ in horas,*
*Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.*

Poteſt

Aliò tortū Emblema. Poteſt & hoc Emblema ad omnes humanas actiones torqueri, in quibus, prӕterquam in ira (ſecundum Senecam) nimia mora damnoſa eſt, contra maturitas utiliſſima. Alexander interrogatus, quo pacto tam brevi ſpatio orbem ſubegiſſet, rectè reſpondit;

ὀυδὲν ἀναβαλλόμενος, id eſt,

Nihil cunctando, aut differendo. Audendo, atque agendo Romani res ſuas auxerunt. Cӕſarem disjunctiſſimas terras citius victorijs ſuis illuſtraſſe legimus, quàm cujuſquam paſſibus peragrari potuiſſent. Vnde illud de ſe ſummo jure profitetur; Veni, vidi, vici. Hic, cum Pompeius inſtructam aciem apud Pharſaliam inibi conſiſtere, & hoſtem operiri juſſiſſet; dixit, illum erraſſe, qui vim, impetum, ac divinum afflatum animorum, ad incurſionem paratorum, morâ relaxaſſet. Scivit ſcilicet illud Lucani, (Plutarch. in Cӕſ.)

*Tolle moras, nocuit ſemper differre paratis.*

Et Manilij, (Lib. 4. Aſtron.)


*Mora ſӕpè malorum*
*Dat cauſas.*

Et capitur Saguntus dum Romanus ſedendo tempus terit.

Vivi-

# Vivitur ingenio.

## EMBLEMA XXIX.



*Regna cadunt, urbes pereunt, nec quæ fuit olim*
*Roma manet, præter nomen inane, nihil.*
*Sola tamen rerum, doctis quæſita libellis,*
*Effugiunt ſtructos Fama decuſque rogos.*

## COMMENTARIVS.

OVidius quodam loco inquit,

*Tabida conſumit ferrum lapideſque Vetuſtas,*
*Nullaque res majus tempore robur habet,*
*Scripta ferunt annos, ſcriptis Agamemnona noſti,*
*Et quiſquis contrà, vel ſimul arma tulit.*

*Fit vivax ſcriptis virtus, experſque ſepulchri*
*Notitiam ſeræ poſteritatis habet:*

Quibus verſibus indicatur, cum omnium humanorum operum confectrix ſit Vetuſtas, cum Oppida, Reſpublicas, Regna evertat, ferrum denique, lapides, atque adeò ipſum adamanta, quem duriſſimum perhibent, & in quo Fatalia Parcarum decreta, propter ſummum rigorem ejus, inciſa eſſe perhibent Poëtæ, conſumat, ſolam tamen Eruditionem, omnium annorum ac Libitinæ Domitricem, eſſe immortalem. Quod quàm verum ſit, re auctore patebit. Nonne ſeptem illa Miracula, & ſi qua his mirabiliora ſequentium annorum extruxit ambitio, ſolo æquata ſunt? nonne tam mortalia fuerunt, quàm ij qui ea fecerunt? Negari certè non poteſt; quin etiam memoria eorum penitus ex animis deleta fuiſſet, ſi per ſcripta, humanarum actionum, & omnium ſæculorum conſervatricia, licuiſſet. Illa ipſa Terrarum Dea, gentiumque Roma, & falsò Æterna Vrbs, ubi eſt? obruta, diruta, incenſa; & ambitioſè hodie quæritur, nec invenitur in ſuo ſolo, ſolum autem nomen & majeſtatem ſuam in ſolis ſcriptis tuetur. His veteres Ægypti Thebas, his centum Cretæ urbes cognoſcimus. Quis, ut Theocritus inquit, unquam optimates Lyciorum, quis Priami filios, aut Cycnum noviſſet, niſi ſuperiora bella ceciniſſent Poëtæ. Neque verò Ulyſſes poſt errores decem annorum, per omnium ferè hominum urbes vagatus, etiam ad inferos profectus vivus, tot deniquè periculis perfunctus, atq; ex antro Cyclopis ſalvus reverſus, diuturnam laudem conſecutus eſſet: Tum ſubulcus Eumæus ſilentio præteritus.

Seneca. Lipſ. in Conſt.

Horat. *Paulum* (enim) *ſepultæ diſtat inertiæ*
*Celata virtus.*

Litteræ Themiſtoclem, qui de Brevitate vitæ conquerebatur, litteræ Alexandrum immortalitate donarunt, aliquandò alioqui perituros, niſi iſtæ famæ & æternitatis artes obſtitiſſent. Nam, ut Pindarus inquit, ſermo factis diutius vivit, quem cum Gratijs volentibus lingua extulerit è profundâ mente. Quamobrem Eudamidas rogatus à quodam, quam ob cauſam Lacedæmonij, priuſquam irent in prælium, Muſis immolarent, cum Muſis nihil videretur cum Marte eſſe commercij; ut rebus, inquit, fortiter geſtis contingat honeſta commemoratio.

Enim-

Enimverò, *Non inciſa notis marmora publicis* Horat.

*Per quæ ſpiritus & vita redit bonis*
*Poſt mortem Ducibus: non celeres fugæ*
*Rejectæque retrorſum Hannibalis minæ,*
*Non incendia Carthaginis impiæ,*
*Ejus qui domitâ nomen ab Africâ*
*Lucratus redijt, clarius indicant*
*Laudes, quàm Calabræ Pierides; neque*
*Si chartæ ſileant, quod benè feceris*
*Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ*
*Mavortiſque Puer, ſi taciturnitas*
*Obſtaret meritis invida Romuli.*
*Ereptum ſtygijs fluctibus Æacum*
*Virtus, & favor, & lingua potentium*
*Vatum divitibus conſecrat inſulis.*
*Dignum laude virum Muſa vetat mori*
*Cœlo Muſa beat.*

Quod & Pindarus egregiè, Nem. Carm. ſeptimo, innuit, hoc modo: Magnæ corporis vires, magnæq; animi virtutes, ab hymnis & laudationibus derelictæ, denſis tenebris circumfunduntur. Vnicum eſt autem rerum fortiter geſtarum ſpeculum, quo videlicet illæ poſteritati prodantur, atque immortalitati commendentur & conſecrentur, carmen à docto aliquo Poëtâ conſcriptum, quod illarum rerum laudes, tanquam laborũ præmia, complectatur. Idcircò elatè & magnificè, ſed tamen verè, hic idem Poëta, Statuarium ſe eſſe negat, qui mutas tantum ſtatuas edolet, unâ defixas in baſi, ſed quos ipſe cantibus ſuis celebret, eorum famam terrâ marique ſpargi, ac diſſeminari.

*Quem referent Muſæ, vivet dum robora tellus,* Tibull.
*Dum cœlum ſtellas, dum vehet amnis aquas.*

Videat Lector etiam ſe meritò jactitantem Ovidium in fine Metamorphoſeos, & Horatium in Odis,

*Exegi monimentum ære perennius*
*Regalique ſitu Pyramidum altius,*
*Quod non imber edax, aut Aquilo impotens*
*Poſſit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum ſeries, & fuga temporum.*
*Non omnis moriar, multaque pars mei*

*Vitabit Libitinam. uſque ego poſterâ*
*Creſcam laude recens, dum Capitolium*
*Scandet cum tacitâ Virgine Pontifex.*
*Dicar quà violens obſtrepit Aufidus*
*Et quà pauper aquæ Daunus agreſtium*
*Regnator populorum, ex humili potens*
*Princeps Æolium carmen ad Italos*
*Deduxiſſe modos, ſume ſuberbiam*
*Quæſitam meritis, & mihi Delphicâ*
*Lauro cinge volens Melpomene comam.*

# Iactura utilis.

## EMBLEMA XXX.



*Cum Tigrium catulos Venator repperit, unum*
*Projicit, ut matrem detinuiſſe queat;*
*Dum rapit hunc mater, nidumque reviſit anhela,*
*Intereà pedibus conſulit ille ſibi:*
*Damna hominem quandòque juvant, dum copia rerum*
*Cauſa eſt latroni cur ſtruat inſidias.*

### COMMENTARIVS.

PLinius Naturalis Hiſtoriæ Lib. VIII. Cap. XVIII. refert, eos qui Tigrium catulos venantur, totum fœtum, qui ſemper numeroſus eſt, rapere, deinde maximè pernici equo

abire. At ubi vacuum cubile reppererit fœta(maribus enim cura ſobolis non eſt) fertur præceps, odore veſtigans. Raptor appropinquante fremitu abjicit unum è catulis. Tollit illa morſu, & turbine ocyor acta, remeat, iterumq; inſequitur, tandem ubi nulla ſpes recuperandæ prolis affulget, irritâ feritate ſævit in littore. Et ſic raptor, qui alioqui cum omnibus catulis perijſſet, unico abjecto, ſalvus evadit. Quo facto monemur, urgente neceſſitate, non magni eſſe ducendam nummorũ jacturam, dummodò vitæ hoc pacto conſuli poſſit. Quia pecuniam in loco negligere, maximum interdũ eſt lucrum. Fecit hoc Ariſtippus, qui quum in eâdem navi, ſeſe cum pyratis verſari, cognoviſſet, omnes ſuos nummos in mare projecit, præviderat enim propter ipſos ſe à pyratis in mare projiciendum. Idem legimus apud Iuvenalem feciſſe Catullum quendam, qui ingruente tempeſtate, omnium ferè bonorum faciebat jacturam. Verſus ſic ſonant,

Satyra 12.

*Accidit & noſtro ſimilis Fortuna Catullo,*
*Cum plenus fluctu medius foret alveus, & jam*
*Arboris incertæ nullam prudentia cani*
*Rectoris conferret opem, decidere jactu*
*Cœpit cum ventis; imitatus Caſtora qui ſe*
*Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno*
*Teſticulorum, adeò medicatum intelligit inguen.*

Labor

# Labor Amoris domitor.

## *EMBLEMA XXXI.*



*Omnia parve Puer, Veneris juſtiſſima proles,*
*Telorum duro cum premis imperio,*
*Sola Diana tamen veſtri vim deſpicit arcus,*
*Dum ſequitur fortes fortior illa feras:*
*Otia ſi tollas, periit veſana Libido,*
*Quam labor aſſiduus, duraque vita domat.*

### COMMENTARIVS.

A Poëtis memoriæ proditum eſt, Cupidinem, quum omnes Deos Deaſque ſub jugum ſuum mittat, & blandiſſimam illam vim, quæ nobis paulatim per pectora concu-

concutitur, ſentire faciat, in ſolam tamen Dianam aſſiduis venationibus intentam, nihil poſſe: Quo figmento homines acutiſſimi nihil aliud indicare voluerunt, quàm perpetuis laboribus, vitæque aſperitate, amorem & libidinem domari; otio autem, mollitie atque luxu eas animi paſſiones nutriri. Quare Poëta Lucanus Lib. I. inquit,

*Variam dant otia mentem.*

Exemplum quęrenti Sardanapalus Rex, quàm maximum dabit, qui dum ſeſe otio devovet, uſque adeò, à blandâ illâ pellice, Libidine victus eſt, ut inter imbelliſſimas fœminas neret. Et,

Ovid. *Quæritur Ægiſthus quarè ſit factus adulter?*
*In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.*

Catull. *Otium* (denique) *Reges priùs, & beatas*
*Perdidit urbes.*

Hoc animadvertens Lycurgus, leges tulit, quibus juventutem ab otio ad labores, ad venandum, currendum, natandum, eſuriendum, ſitiendum, algendum, & æſtuandum inſtigaret; Quia

*Cum ſemel hæc animum cœpit mulcere voluptas,*
*Debilibus pennis irritus exit amor,*
*Vel tu venandi ſtudium pete, ſæpè receſſit*
*Turpiter à Phœbi victa Sorore Venus.*

Seneca in Octavia;

*Vis magna mentis, blandus atque animi calor*
*Amor eſt, juventâ gignitur, luxu, otio*
*Nutritur, inter læta Fortunæ bona,*
*Quem ſi fovere, atque alere deſiſtas, cadit,*
*Brevique vires perdit extinctus ſuas.*

Poſt victoriam Cannenſem ſi Hannibal rectâ petiſſet Romam, poterat in Capitolio prandere, ſed frui, quàm uti victoriâ maluit, Campaniam ac Tarentum peragrans, ubi mox & ipſe, & exercitus ardor adeò elanguit, ut veriſſimè dictum ſit, Capuam Hannibali fuiſſe Cannas. Siquidem invictum Alpibus, indomitum armis virum, Campania ſole, & Baiæ fontibus calidis tepentes ſubegerunt. Appium Claudium etiam ſæpè ſolitum dicere accepimus, negotium populo Romano melius, quàm otium committi, non quod ignoraret quàm jucundus tranquillitatis ſtatus eſſet, ſed quòd animadverteret præpotentia imperia, agitatione

Florus.

tatione rerum, ad virtutem capeſſendam excitari, nimiâ quiete in deſidiam reſolvi. Et ſanè negotium nomine horridum, imperij illius mores in ſuo ſtatu cõtinuit; blandæ appellationis quies plurimis vitijs reſparſit. Quid furores ſæpius intrà mœnia, provincias, & regna peperit, quàm nimia fœlicitas, nimiſque diuturnum otium? Aſſerit hoc Romanis ſuis Romanus ſcriptor; Syria prima nos victa corrupit, mox Aſiatica Pergameni Regis hæreditas. Illæ opes atque divitiæ afflixêre ſæculi noſtri mores, merſamque vitijs ſuis, quaſi ſentinâ, Rempublicam peſſundedêre. Naſica, quibuſdam dicentibus, res Romanas in tuto eſſe, exſtinctis Carthaginenſibus, & Græcis in ſervitutem redactis, immò, inquit, nunc demum in ſummo periculo ſumus, poſtquam nulli ſuperſunt vel quos timeamus, vel revereamur: Sentiens inimicos per occaſionem nobis utiles eſſe, per quos non licet impunè ſecurèque eſſe negligentibus.

*Quiſquis ſecundis rebus exultat nimis,*
*Fluitque luxu, ſemper inſolita appetens,*
*Hunc illa magnæ dira Fortunæ comes*
*Sequitur Libido, non placent ſuetæ dapes,*
*Non tecta ſani moris, aut vilis cibus.*
*Cur in penates tenues rarius ſubit*
*Hæc delicatas eligens peſtis domos?*
*Cur ſancta parvis habitat in tectis Venus*
*Mediumque ſanos vulgus affectus tenet?*

Ideò ſcilicet, quia improbum iſtum amorem, & libidinem, per improbum laborem excludit,

πόνος δ' ἀρετῇ μέγ' ὀφέλλει, id eſt, Phocylides.

Labor virtutem valdè juvat. Cæterùm talem laborem non requiram, qualem deſcribit Horatius in Lib. Epod.

*Nullum à labore me reclinat otium,*
*Vrget diem nox, & dies noctem, neque eſt*
*Levare tenta ſpiritus præcordia:*

Scimus illud Ovidij veriſſimum eſſe;

*Cernis ut in duris (& quid bove firmius?) arvis* Lib. I. De
*Fortia taurorum corpora frangat opus,* Ponto.
*Quæ nunquam vacuo ſolita eſt ceſſare novali,*
*Fructibus aſſiduis laſſa ſeneſcit humus,*

N *Occidet,*

*Occidet, ad Circi ſi quis certamina ſemper*
*Non intermiſſis curſibus ibit equus,*
*Firma ſit illa licet, ſolvetur in æquore navis,*
*Quæ nunquam liquidis ſicca carebit aquis.*
*Me quoque debilitat ſeries immenſa laborum,*
*Ante meum tempus cogor & eſſe ſenex.*
*Ocia corpus alunt, animus quoque paſcitur iſtis,*
*Immodicus contrà carpit utrumque labor.*

Atque hæc de moderato otio dicta ſint, quo uſi ſunt etiam viri illi præſtantiſſimi Scipio, & Lælius, qui rerumpublicarum curâ defeſſi, conchas & umbelicos, ad Caietam & Lucrinū legere, & ad omnē animi remiſſionē, ludumq; deſcendere conſueverunt. Idq; benè: Non enim in eâdem intentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad jocos revocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat: & Cato vino laxabat animum, curis publicis fatigatum. Vt fertilibus agris non eſt imperandum; citò enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus, aſſiduus labor franget: vires recipient paulum reſoluti & remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum, animorum hebetatio quædam, & languor. Legum conditores feſtos inſtituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum. Lycurgus, quamquam alioqui ſeveris rationibus inſtitueret cives ſuos, tamen liberales luſus, & jocos, non ſolum illis permiſit, ſed etiā præcepit. Inſtituit enim exercitamenti genus, quod λέσχας appellabat, ad quod conveniebant ſeniores, jam à publicis functionibus emeriti, lepidis dictis, liberalibuſque jocis tempus tranſmittentes, ſed quæ vel ad honeſti laudem, vel ad vitiorum vituperationem conducerent. Quin & ſignum collocavit γέλωτι Deo, id eſt Riſui: quòd utiliſſimum judicaret modeſtis facetijs animorū vigorem recreari, & ad honeſtos labores alacres reddi; quandoquidem in rebus humanis

Senecæ locus de Trāquil. Anim.

*Quod caret alternâ requie durabile non eſt.*

Verè ille olim dixit; Vegetæ & ſtrennuæ mentes, quò plus receſſus ſumunt, hoc vehementiores impetus edūt. Quamobrem Pythagoras animū citharâ excitare ſolebat, ubi evigilaſſet; quò ſcil. eſſet ad functiones obeundas, ac diuturna munia expeditior; & quum ſomnū peteret, rurſus teſtudine mentē leniebat,

quò

quò affectus redderet ſedatiores. Dicebat Socrates, otium poſſeſſionum omnium optimũ eſſe; otium autem ſenſit, non ignaviam, ſed à tumultuoſis negotijs, & cupiditatibus, animi tranquillitatem vitiantibus, remiſſionem. Scipio etiam dicere ſolebat, ſe nunquam minus otioſum, quàm quum eſſet otioſus, nunquam minus ſolum, quàm quum eſſet ſolus: Innuens ſe cum animo ſemper plurima loqui ſolitum. Hoc eſt aptè otio & ſolitudine uti, hoc eſt otio multorum vincere negotia. Contrà (ut prudenter Ennius inquit)

*Otio qui neſcit uti, plus negotij habet,*
*Quàm quum eſt negotium in negotio:*
*Nam cui quid agat inſtitutum, nullo negotio*
*Id agit, ſtudet ibi, mentemque animumque delectat ſuum*
*Otioſo initio animus neſcit quid velit,*
*Hoc idem eſt, neque domi nos, neque militiæ ſumus,*
*Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventum eſt, ire illuc libet,*
*Incertè errat animus, præter propter vitam vivitur.*

# Impotens malitia.

## EMBLEMA XXXII.



*Tempore brumali ſi calcibus urſeris anguem,*
*Non nocet, at mens eſt prona nocere tamen:*
*Sic multos videas homines tali indole, qui non*
*Sunt animo, ſed vi deficiente, boni.*

## COMMENTARIVS.

SErpentes hyberno tempore velut mortui ſunt; ita ut, ſi premantur, immoti jaceant. Non autem deſunt illis venena, ſed torpent. Narrant Porphyrium Serpentem, venenum quidem habere, ſed quoniam edentulus eſt, ſibi tantum habere: Ita quidam homines mala quidem meditantur, & animo volvunt, ſed quia deſunt facultates, non nocent, eas autem

autem adepti, omne virus ſuum evomunt. In hanc ſententiam Epiſt.42. ſic Seneca: Multorum quia imbecilli ſunt, latent vitia, non minus auſura, quum illis vires ſuæ placuerint, quàm illa, quæ jam fœlicitas aperuit. Et paulò poſt: Multorum crudelitas, ambitio, & luxuria, ne paria peſſimis audeat, Fortunæ favore deſtituitur: Eadem velle eos cognoſces, da poſſe quantum volunt. Sapienter itaque unuſquiſque ſibi ab illis cavebit, ut eorum inſidias evitando, gaudendi materiam eis eripiat. Hoc pacto fiet, ut ipſa malitia maximam partem veneni ſui abſorptura, & ut baſiliſcus vitrum ſpeculatus, virus ſuum in ſe retortura ſit.

# Gloria poſt obitum major.

## EMBLEMA XXXIII.



*Sæpè comes radios per Solis euntibus umbra eſt,*
*Hæc etiam noſtræ dux aliquandò viæ:*
*Gloria viventes etiam ſectatur, at illa*
*Major ab exequiis ſemper in ora venit.*

## COMMENTARIVS.

SEneca Philoſophus in Epiſtolis ſuis inquit; Gloria umbra virtutis eſt, etiam invitos comitabitur: Sed quemadmodum aliquandò umbra antecedit, aliquandò ſequitur; ita gloria aliquandò ante nos eſt, viſendamque ſe præbet, aliquandò in adverſo eſt, majorque quò ſerior, ubi invidia ſeceſſit.

ceſſit. Quamdiu videbatur furere Democritus? Vix recepit Socratem fama. Quamdiu Catonem civitas ignoravit, reſpuit, nec intellexit niſi cum perdidit. Enimverò ſic ſunt homines, præſentia invidiâ, præterita veneratione proſequuntur. Quod & Lyricus aſſerit,

*Virtutem incolumem odimus,*
*Sublatam ex oculis quærimus invidi.*

Vivos interdum Fortuna, ſæpè invidia fati fatigat, ubi anima naturæ ceſſit, demptis obtrectationibus, ipſa ſe virtus magis magiſque extollit. Cicero.

——— *Diram qui contudit Hydram* Horatius.
*Notaque fatali portenta labore ſubegit,*
*Comperit invidiam ſupremo fine domari;*

dum ſcilicet igni Græcanico cœlum aſſequeretur. Ita certè eſt, Lippus Livor longinqua non aſpicit, præſentia obliquè intuetur;

——— *Nos noſtraque lividus odit,*
——— *Et niſi quæ terris ſummota, ſuiſque*
*Temporibus defuncta videt, faſtidit & odit:*

eique tantum homines magni ſunt (ut Poëta loquitur) propter mille annos. Attamen viros illos illuſtres, & in exemplum natos, ab heroico ſuo propoſito movere non debet, ſed potius ὅλῳ ποδὶ, id eſt toto pede, adverſus illum ſtandum eſt; ne tanquam Scarabæi umbra (ut eſt in Adagio) nos terreat parum attentos. Sciat quilibet, nullum rectè factum in hâc vitâ præmio carere, cujus (ut ſapientibus placet) vel uberrimus fructus eſt, feciſſe, & in ſilentio meminiſſe; Quia

——— *Virtus pretium ſibi, ſolaque latè* Claud.
*Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis*
*Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi,*
*Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,*
*Divitijs animoſa ſuis, immotaque cunctis*
*Caſibus, ex altâ mortalia deſpicit arce.*

Mima illa apud Horatium, contempto multitudinis contemptu, ſatis habebat equitem ſibi plaudere. Et altè ac generoſè ille exclamat: Satis mihi pauci lectores, ſatis eſt unus, ſatis nullus. Volebat hic cordatiſſimus vir, gloriam ſequi, non appeti, nec, ſi caſu aliquo non ſequeretur, idcircò quod gloriam meruerat,

minus

minus pulchrum ducebat, ſuo ſcilicet ſibi placens theatro.
Seneca. Omnibus nimirum ad multa annorum millia reſpiciendum eſt, etiamſi cunctis tecum viventibus ſilentium livor indixerit, venient tamen, qui ſine offenſâ, ſine gratiâ judicent.

In

# In malos Cauſidicos.

## *EMBLEMA XXXIV.*



*Forenſes Rabulas vocavit ille*
*Togatos benè Vultures; ſed illud*
*Inter hos tamen intereſt, & illos,*
*Quòd cadavera Vultures morentur,*
*Hi vivis quoque detrahant cruorem.*

### COMMENTARIVS.

Vulturum, ut Plinius teſtatur, ea eſt Natura, ut triduo ante aut biduo, eò advolent, ubi cadavera futura ſunt. Hinc Dinarchus Adoleſcens apud Plautum, Natural. Hiſt. Lib. 10, Cap. 6.

*Vide ut jam, quaſi Vulturij triduo* In Truculento.

 *Prius*

*Prius prædivinant, quo die eſuri ſient,*
*Illum inhiant omnes.*

His avibus ſimiles dicit eſſe Apuleius perfidos cauſidicos, quos appellat vultures togatos; homines illos, non modò inſulſos, & à Minervâ alienos, verum vel maximè lingulaces, & à rabie non malè dictos rabulas. Eo autem pacto vulturibus ſæviores ſunt, quòd hi cadavera exſpectent, illi vivos homines excorient. Vnde eorum ſtudium Columella caninum appellat; & haud temerè quiſpiam conceſſum latrocinium dixit. Si naribus eorum afflaverit aura marſupij cujuſdam, confeſtim illos videbis perjuria Laomedontis, Ulyſſis argutias, Simonis fallacias, & pietatem Pygmalionis adhibere, cumque non adeſt medulla ſenſuum, audies illos abundare ſpumâ verborum. In tantum denique apud illos fames habendi incanduit, ut Dialecticæ mutua ſit ſubtilitas, Rhetoricæ langueſcat civilitas, ubi nummorum
Lib. 1. perorat pluritas Hæc movêre Columellam, ut diceret, ſine cauſidicis ſatis fœlices fuiſſe, & futuras urbes: Idque verè, Legibus enim fundatas civitates legibus evertunt. Conqueritur hoc etiam Plautus,

*Mores leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam,*
In Trinummo. *Magis queis ſunt obnoxioſi, quàm parentes liberis,*
*Eæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clavis ferreis,*
*Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.*

Atque hæc de rabulis, in fas nefaſque iras ſuas, ac verba locantibus: Veri autem Patroni & Cauſidici reverendi, atque ſuſpi-
Ariſt. Rhet. ad Alex. ciendi ſunt: Teſtatur hoc graviſſimus Philoſophus, τὸ βουλεύεσθαι, τῶν περὶ τῶν ἀνθρώπων, θειότατον ἐστι, id eſt, conſiliare, eorum quæ inter homines ſunt, diviniſſimum eſt. Et Plato, ἱερὸν ἀληθῶς ἐστιν ἡ συμβουλία, id eſt, quiddam ſacrum profectò eſt conſultatio. Hi quoque urbibus maximè neceſſarij, periclitantem enim innocentiam præſidio ſuo ſublevant; & ambigua cauſarum fata dirimunt, nec minus provident humano generi, quàm ſi manu militari patriam defenderent. Hi ſuo jure dicere poſſunt, quod apud Ennium inquit ille Pythius Apollo;

*Se eſſe eos unde ſibi non populi & Reges, at omnes ſui*
*cives conſilium expetant,*
*Suarum rerum incerti, quos ego meâ ope ex*

*Incertis, certos, compoteſque conſilij*
*Dimitto, ut ne res temerè tractent turbidas.*

Eſt enim ſine dubio domus Iureconſulti, totius oraculum civitatis. Quarè Salluſtius ad Cæſarem inquit; Ego ita comperi, omnia regna, civitates, nationes, uſque eò proſperū imperium habuiſſe, dum apud eos vera valuerunt conſilia.

# Lubricum Iuventutis.

## EMBLEMA XXXV.



*Dum tener, & nondum fundarat in orbe columnas,*
*Monſtraque delerat Amphytrioniades,*
*Apparent illi Virtus hinc, inde Voluptas,*
*Et ſtudet in partes flectere quæque ſuas.*
*Blanda Voluptatis, Virtutis dura videtur*
*Semita, dum primo limine quamque notat.*
*Hanc tamen invictæ ſubiens certamine mentis*
*Ad Superos tandem vi ſibi ſtravit iter:*

*Alcidæ*

*Alcidæ ſimiles homines ſunt, dum levis ætas,*
*Et peragit curſus cæca juventa ſuos;*
*Fœlix qui rectum potuit ſervare tenorem*
*Integer, & nullo crimine tactus obit.*

## COMMENTARIVS.

Hâc Herculis Fabulâ, quam eleganter Libro decimo quinto deſcripſit Silius Italicus, & Xenophon ſub nomine Prodici Philoſophi, Libro ſecundo Memorabilium Socratis, nihil aliud innuitur, quàm Iuvenes in trivio & flexu vitæ poſitos, de eâ inſtituendâ laborare, magnoque eſſe in periculo, ne à voluptatum blanditijs decepti, & à recto itinere abducti, in vada & ſcopulos deferantur, in quos cum impegerint, non ſit receptui locus. Etenim qui ætate illâ in omnia præcipiti non labitur, ſpes eſt illum, inoffenſo deinde curſu, pertingere poſſe ad Candidam metam. Hujus rei utile exemplar, Sapientiæ ille adumbrator Ulyſſes, nobis propoſuit,

*Qui domitor Troiæ multorum providus urbes*
*Et mores hominum inſpexit, latumque per æquor,*
*Dum ſibi cum ſocijs reditum parat, aſpera multa*
*Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis.*
*Sirenum voces, & Circes pocula noſti,*
*Quæ ſi cum ſocijs ſtultus cupiduſque bibiſſet*
*Sub dominâ meretrice fuiſſet turpis & excors,*
*Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.*

Quapropter parentibus nihil prius, aut antiquius eſſe debet, quàm ut religioſè caveant, ne quod deliquium morum puerilium integritas patiatur: Ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenum conſtituenda & regenda prudentiâ eſt; qui tanquam alter Orpheus, vocem illam, quæ rupes nemoraq; traxit, explicent, hoc eſt, ſalutaria præcepta cereis illorum mentibus proponant, quæ illi ſequentes, per labores innumeros, aureũ illud vellus, id eſt, virtutem cum immortali gloriâ conſequantur. Fœlices ter & amplius ſi audiant, ſi vitiorum omnium inimici, rectum vitæ iter inſpiciant, & tanquam Alphæus mare Siculũ ſubterlabi dicitur,

ſine mixtione undarum, ad ſuam Arethuſam; ſic per mundanas haſce vanitates, ad eas virtutes tendant, quibus omnem vitam tueri poſſint. Rarum hoc certè, ſed magnum exemplum continentiæ, quæ etiam in Liberi Patris ſacris (ut Ariſtippus, in purpurâ ſaltare coactus, referente Laërtio, dixiſſe fertur) non corrumpitur;

*Cui mens circumflua Luxu*
*Noverat intactum vitio ſervare vigorem.*

At quàm multi intereà, aut ſuo, aut aliorum vitio, ad pejora inclinant: Suo ſcilicet, dum vitæ habere modum ignari, ſe totos otio & voluptatibus devovent, quæ ubi animos illorũ, ad magna alioqui ſurgentes, velut peſtilenti quodam ſidere afflarunt, capti ſunt, periêre; Iam inter meretrices, illecebras (ut Comicus ait) argentarias, ſepulchrum ſuum habent, totamque meliorem ætatem comburunt. Itaq; re cum pulviſculo perditâ, nihil aliud illis reſtat, niſi ut fiant miſeri; non ſecus ac ille conclamatæ vitæ adoleſcens Lesbonicus apud Plautum, qui cum amicè ab amico in hunc modum admoneretur,

*Niſi me auſcultas, atque hoc, ut dico, facis,*
*Tute ponè te latebis, facilè ne inveniat te Honor,*
*In occulto jacebis, cum te maximè clarum voles:*

Ita reſpondit,

*Sciebam ut eſſe me deceret, facere non quibam miſer*
*Ita vi Veneris vinctus, otio captus in fraudem incidi.*

Xenophon. Sic, dum juvenilis ætas adeſt, abſque labore nitidi victitant, cum labore ſquallidi ſenectam ætatem tranſigunt; anteactorum eos pudet, agendorum onus haud ſuſtinent; jucundis in juventute curſu quaſi peragratis, in ſenectutem moleſta reſervant. Accedunt ad hoc paraſiti, communis pernicies adoleſcentum, qui ita ſe comparant, ut omnia aſſententur, qui exulceratas iſtas mentes, ſi ſuâ ſponte non ſatis inſaniant, improbâ arte, quâ illas tractant, magis magiſque inſtigant, ita ut ipſa ſi cupiat Salus ſervare prorſus non poſſit. Venio ad parentes, qui ſæpè etiam ſuo exemplo peccant, liberoſque malè agendo malè agere docent,

Iuvenalis. *Si* (enim) *damnoſa ſenem juvat alea, ludit & hæres*
*Bullatus, patrioque eadem movet arma fritillo.*

Aut vehementes in utramque partem ſunt, largitate miniâ, aut parſi-

parſimoniâ, & ſic in eandem fraudem ex hâc re atque illâ incidunt. Si enim nimis contentè liberos habeant, nec ea quæ fert adoleſcentia ijs indulgeant, ut eſt ingenium humanum, ſemper nitentur in vetitum, omneſque artes advocabunt ut id conſequantur. Si nimis laxè & lautè, idem erit. Nam qui adoleſcenti nimium indulget, ſive pecuniæ, aut alterius rei, is febricitanti miniſtrat vinum, bilioſo mel, cœliacis obſonia. Hinc Megaronides ſenex apud Plautum,


*Dediſtine hoc pacto ei gladium quî ſe occideret?*
*Quid ſecus eſt, aut quid intereſt dare te in manus*
*Argentum amanti homini adoleſcenti, animi impoti*
*Quî exædificaret ſuam inchoatam ignaviam?*

Itaque præceptum hoc Philoſophorum hîc valeat, μήδεν ἄγαν, id eſt, ne quid nimis, & modus teneatur, qui eſt ſal & anima virtutum.

Sapien-

# Sapientiæ deceptrix Avaritia.

## *EMBLEMA XXXVI.*



*Cauta licet ſis Diva, tamen te cautior, arctos*
*In caſſes, Ratio tinnula ſæpè trahit.*

## COMMENTARIVS.

PAuſanias Corinthiacus memoriæ prodidit: Acriſiũ conſulto de liberis maſculis, ſi quos filia ſua pareret oraculo, reſponſum tuliſſe, ſe ab eo, qui è filiâ ſuâ naſceretur, interfectum iri. Hoc igitur metuens, extructo ſub terrâ æreo thalamo, Danaen acerrimâ cuſtodiâ ſeptam tenuit. Verumtamen Iuppiter in aurum converſus, per inpluvium in ſinum Danaes influxiſſe, atque ita cum eâ rem habuiſſe fertur. De quo Horatius Lib. tertij Ode, XVI. & Ovid. Lib. I. Amor. Eleg. 7.

*Iuppiter*

*Iuppiter admonitus nihil eſſe potentius auro,*
*Corruptæ pretium virginis ipſe fuit.*
*Dum merces aberat, durus Pater, ipſa ſevera,*
*Ærati poſtes, ferrea turris erat.*
*Sed poſtquam ſapiens in munere venit adulter,*
*Præbuit ipſa ſinus, & dare juſſa dedit.*

Quo figmento adumbratur, Nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari, nihil tam providum, quod non decipi à pecuniâ poſſit. Si dubitas, quotidianam experientiam, ipſaſque Hiſtorias tibi auctores dabo. Hæ Philippum oraculo fidentem, non ferreis, ſed argentatis haſtis Græciam ſubegiſſe teſtabuntur, bellumque (ut Ennius loquitur) cauponatum fuiſſe; ijs ſcilicet corrumpendis, locupletandis, atque ornandis, qui in ſingulis urbibus, ſummæ rei præerant. Quid Lacedæmonij? nonne primi omnium hoſti munera dare cœperunt, bellique victoriam auro vænalem effecerunt? Idcircò M. Tullius, Offic. ſecundo, ſcribit, Caium Pontium Samnitem, optare ſolitum, ut ad illa tempora ſe Fortuna ſervaſſet, & tunc eſſet natus, quandò Romani Dona accipere cœpiſſent, non fuiſſe paſſurum, eos diutius imperare. Adeò ſcilicet humana cupiditas, ad iſtas utriuſque materiæ laminas caligat, quibus tamen terra ut noxijs rebus, maloque gentium in medium prodituris, toto pondere incubuit. Reſiſtit quis, aut obloquitur? os illi argento verbera, obſtruetur, & lucripetam iſtum, legirupam efficies; ignarum ſcilicet hoc pauxillum lucri quantum illi damni adportet. Cicero. Demoſth. Pauſan. Seneca de Benef.

*Nec minor in campo furor eſt, emptique Quirites*
*Ad prædam, ſtrepitumque lucri ſuffragia vertunt.* Petron.

Porrò cum ſacra hæc auri fames ubique perniciosa ſit, omnium tamen malorum comprimis radix eſt, ſi judicum animis inhæreat. Quod tamen aliquandò fit, ut ubi bos in linguâ eſt, ibi conſilia corrumpantur, lucroque Sapientia etiam irretiatur. Probos non tango, in quorum numero mihi Alcamenes ille; qui quodam rogante, cur à Meſſenijs oblata munera recuſaſſet: Quoniam ſi recepiſſem, inquit, cum legibus pacem habere non poteram: O mentem regno dignam, quæ magno obvioque lucro, legum auctoritatem antepoſuit. Quid ille egregius vir, cui cum Cæſar ducenta donaret, id eſt quinque millia Philippicorum, Iuſtin. Novell. ut præſid. abſque ulla dat pecun. ad offic. mitt. Parag. Tametſi enim Conſt. 8. Seneca.

rum,an non ridens rejecit? ingenti ore efferens; Si tentare me conſtituerat,toto illi fui experiendus imperio. Quaſi dicat,nec dato quidem illo,ſe ceſſurum illis decretis,& vitâ. Et cur? Cum omnes cinis æquet, ſola autem Virtus diſtinguat?

*Nos homunculi*
Plaut. *Salillum animæ qui cum extemplò amiſimus,*
*Æquo mendicus, atque ille opulentiſſimus*
*Cenſetur cenſu ad Acheruntem mortuus.*

Vitium

# Vitium Virtutis ſpecie citius fallit.

## EMBLEMA XXXVII.



*Blandiùs arridet pellaci flore Cicuta,*
*Et tamen interiùs, quo perimamur, habet.*
*Cum vitium ſpecie ſeſe Virtutis obumbrat,*
*Promptius in caſſes pectora noſtra rapit.*

## COMMENTARIVS.

DVo ſunt, inquit Seneca, propter quæ delinquimus; Aut ineſt animo pravis opinionibus malitia contracta, aut etiamſi non eſt falſis occupatus, ad falſa tamen proclivis eſt, & citò ſpecie, quò non oportet trahente, corrumpitur. Sic nulla vitia velocius citiuſque obrepunt animo, aut Epiſt. 94.

 majorem

majorem afferunt perniciem, quàm quæ Virtutis ſpecie fucantur,

*Fallit enim vitium ſpecie Virtutis & umbrâ.*

Horum de genere ſunt Ambitio, quæ virtutem mentitur, ejuſque nomen uſurpans, honeſtâ quodammodo prætextâ ornata, oculis mortalium ſeſe ingerit. Hinc ille Vates,

*——— Habitat ſub pectore cæco*
*Ambitio, & morbum virtutis nomine jactat.*

Superbia libertatis loco ducitur. Sitis inexplebilis habendi vocatur providentia. Livor honeſti Zelo perſonatur. Maledicentia fucat morbum titulo libertatis. Adulatio pro humilitate ſeſe inſinuat. Et tam callidè, & blandè hæc imponunt, ut internoſci niſi difficulter non queant. Porrò quemadmodum venenum quò dulcius, eò periculoſius eſt: ſic hæc mala periculoſiſſima ſunt, cum delectant. Tum enim, quia amamus, defendimus, & malumus excuſare, quàm excutere. Tandem eò inſaniæ devenimus, ut laudemus, & gloriemur ijs, quibus erubeſcere oportebat. Et quod unum habebamus in malis bonum, perdimus peccandi verecundiam. Benè ille, Miſerum eſt peccare, miſerius delectari, miſerrimum excuſare, & tum demum conſummata amentia eſt, quum ad ſtudium malum, opinio quædam honeſtatis acceſſerit. Medici nullum morborum genus putant formidabilius, quàm quod ægrotis mali ſenſum eripit. At hujuſmodi ferè ſunt omnes animorum morbi. Quò quiſque gravius ægrotat, hoc minus admittit opem medicantis. Nec ægrotus de ſuis poteſt judicare malis, quibus laborat, proptereà quòd ægrotet ea pars, cujus erat judicare. Nunquam autem ſanatur, niſi excuſſo hoc irrationali motu, puta Opinione, Rationem, quæ exultantes affectus temperet, & in anguſtiorem gyrum ducat, ſibi adſciſcat. Vt enim

Boët. lib. 1. Met. 7.

*Nubibus atris*
*Condita nullum*
*Fundere poſſunt*
*Sidera lumen:*
*Sic quoque ſi vis*
*Lumine claro*
*Cernere verum,*

Hanc

Hanc Bonæ mentis perturbatricem Opinionem diſjice ; quia

*Nubila mens eſt*
*Vinctaque frenis*
*Hæc ubi regnat.*

Itaque ex præcepto Horatij

——— *te ipſum*
*Concute, num qua tibi vitiorum inſeverit olim*
*Natura, aut etiam conſuetudo mala; Namque*
*Neglectis urenda filix innaſcitur agris.*

# Malum conſilium conſultori peſſimum.

## EMBLEMA XXXVIII.



*Conſilium auctori pravum nocet: Hoc benè quondam*
*Monſtraſti exemplo ſæve Perille tuo.*

## COMMENTARIVS.

PErillus Athenienſium faber ingenioſiſſimus, olim Phalaridi, Agrigentinorum Tyranno, taurum ex ære fabricavit, cui januam in latere poſuit, ut cum incluſus reus ſubjectis ignibus torqueretur, mugitum, non hominis vocem videretur emittere: quo invento, cum munus & præmium à crudeliſſimo Tyranno, qui novis hominum tormentis delectabatur, poſtularet, in eo ipſo, ut eam pœnam primus experiretur, includi juſſus, ac ſuppoſitis ignibus exuſtus eſt. Vide Ovid. Plin. Lib. 34.

Lib.34. Cap.8. Quo exemplo monemur, malum conſilium conſultori eſſe peſſimum.

*——— Neque (enim) lex æquior ulla eſt*
*Quàm necis artifices arte perire ſuâ.*

Polypus dum Conchæ carnem captat, ipſe capitur, ac tenetur. Et baſiliſcus dum ſpeculum inſpicit, ſuo ipſius veneno, à ſpeculo repercuſſo, necatur. Sic ſemper malitia maximam partem veneni ſui bibit. Græci dicunt ἱερὸν ἡ βουλὴ, id eſt, ſacra quædam res eſt conſilium. Atque ut eſt libenter accipiendum, ita eſt religioſè citràque fraudem dandum, ſi quis egeat. Alioqui non defuturum eſt Numen aliquod, quod pœnas repetat ab eo, qui rem ſacram perfidiâ violarit. Exſtat in hanc ſententiam Apologus Græcus non invenuſtus, qui ſic habet: Leonem ob ſenectam ægrotantem, & eâ de cauſâ in luſtro ſe continentem, cætera quidem animantia, officij cauſâ, viſebant, exceptâ Vulpe. Proinde Lupus, nactus oportunitatem, accuſavit Vulpem, apud Leonem læſæ Majeſtatis, ut quæ pro nihilo haberet eum, penes quem rerum erat ſumma; nec ob contemptum ad viſendum acceſſiſſet. Intereà autem intervenit in Lupi fabulâ Vulpes, & extremam ſermonis partem audivit. Itaque Leo, conſpectâ Vulpe, protinus adverſus eam infremuit; at illa poſtulato ad purgandum ſeſe ſpatio: Et quis, inquit, omnium qui huc convenerunt, tantum tibi profuit, quantum ego? quæ quoquò verſum circumcurſitavi, tibique morbi remedium à medicis reperi. Cumque Leo protinus edixiſſet, ut remedium aperiret, ſi vivum inquit Lupum excories, & illius pellem induas, convaleſces. Leo credulus, continuò Lupum invaſit, & interemit. Quo exſtincto, riſit aſtuta Vulpes, calumniatoris malum conſilium in ipſius recidiſſe caput, ipſumque exediſſe quicquid mali intriverat.

Diffi-

# Diffidendum.

## EMBLEMA XXXIX.



*Aſpiciens hominem lachrymas Crocodilus acerbè*
*Fundit, & in caſſes fugiendo ducere tentat,*
*Huc ubi perduxit, conantem cedere retrò*
*Invadit, roſtroque illum diſcerpit avaro:*
*Nuſquam tuta fides, hoſti diffidito ſemper,*
*Nam nihil utilius quàm diffidentia prudens.*

### COMMENTARIVS.

PEſſimi hominum nunquam terribiliores ſunt, quàm dum voce, & geſtu ſeſe leniſſimos oſtendunt. Publ. Mimus

*Malus ubi ſe bonum fingit, tunc eſt peſſimus.*

Quod inprimis de Domitiano Principe lectum eſt. Baſſianus etiam

etiam imperator (ut eſt apud Ælium Spartianum) lachrymabatur, quoties aut mentio fieret, aut magnos videret Getæ fratres, quem occiderat. Aranea (ut ajunt) antequam feriat, titillat; Auceps, & mulier quem fallere vult, delinit. Polypus quem demergit, amplectitur. Hyena vocem humanam imitatur, & nomen alicujus ediſcit, quem poſteà devoret. Crocodilus denique Nili animal, terrâ pariter ac flumine infeſtum, quem dilacerare ſtatuit, inſequentem fugit, fugientem ſequitur. Sunt qui ſcribant eum etiã lachrymas emittere, conſpecto homine. Vnde in Adagio eſt, Crocodili lachrymæ. Quibus exemplis monemur, nihil credere, atque omnia ſuſpecta habere. Exclamat Tragicus, Vid. Pliniũ Lib. 8. Cap. 25.

*O vita fallax abditos ſenſus geris.* In Hyppolito.

Multis ſimulationum involucris, & quaſi velis obtenditur uniuſcujuſque natura. Frons, oculi, vultus perſæpè mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè. Quod expertus eſt ille, cum inquit; O amici, nemo amicus. Itaque meritò nobis occinit Epicharmus, νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν; ἄρθρα γὰρ ταῦτα τῶν φρενῶν, id eſt, Sobrius eſto, & memor ſis ne quid credas, nervi hi ſunt ſapientiæ. Occurrit & illud Euripidis; Cic. Ad Q. Frat. Epiſt. 1.

σώφρονος δ' ἀπιστίας
οὐδ' ἔστιν ἄλλο χρησιμώτερον βροτοῖς, id eſt,

Sapiente diffidentiâ non aliud utilius eſt mortalibus;

Præcipuè adverſus hoſtis inſidias. Quoniam nulli citius opprimuntur, quàm qui nihil timent. Et frequentiſſimum initium calamitatis, eſt ſecuritas. Nihil itaque in hoſte contemnendum, ſed cogitandum, ſub omni lapide dormire Scorpium. Frequenter jam fuſa acies, diſperſos, ac paſſim ſequentes, reparatis viribus interemit. Narrat Cornelius Nepos in Traſybulo, eum, cum Phylem confugiſſet, quod eſt caſtellum in Atticâ munitiſſimum, non plus habuiſſe ſecum, quàm triginta de ſuis. Hoc initium fuit ſalutis Atticorum, hoc robur libertatis clariſſimæ civitatis. Contemptus enim eſt primò à Tyrannis, atque ejus ſolitudo; quæ quidem res & ipſis contemnentibus perniciei, & huic deſpecto ſaluti fuit. Hæc enim illos ad perſequendum ſegnes, hos autem, tempore ad comparandum dato, robuſtiores fecit. Quò magis præceptum illud, omnium in animis eſſe debet; Nihil in bello oportere contemni; Nec ſine cauſâ dicitur, Matrem timidi flere non ſolere. Vell. Paterc 2. Hiſt. Veget. lib. 3 cap. 25.

# Moroſis cedendum.

*EMBLEMA XL.*



*Cedito moroſis, nam quò magè concutis ignem,*
*Hòc magis attollit mota favilla jubar.*

## COMMENTARIVS.

IN Adagio eſt; Ignem gladio ne fodito. Quo monemur, potentum & ferocium iracundiam, non eſſe convitijs exagitandam, propterea quòd flamma, quò magis commovetur, hòc magis magiſque invaleſcat; cum contrà, ſi quieſcat, ſopiatur. Plautus in Amphitruone;

*Bacchæ bacchanti ſi velis adverſarier,*
*Ex inſanâ inſaniorem facies, feriet ſæpius,*
*Si obſequâre unâ reſolvas plagâ.*

Fulminis & procellæ eadem ferè eſt vis; validiſſima quæque, ac reniten-

renitentia ſternunt, & evertunt. Contrà arundinem contumacem adverſus ſævientium nimborum impetus, domitricemque ruentis cœli videmus; nec alijs armis, quàm patientiâ quâdam tutam. Sic quiſquis majoribus ſuis cedit, cedendo, ut arundo, vincit. Præterea nihil ita confuſionē parit ingerenti mala, ſicut fortis tolerantia patientis, & neque verbo, neque opere reddere vindictam. Quod quid aliud, quàm illum ſævientem in adiutorium tui, pudore victum convertere? Hoc certè vindictæ genus eſt maximum, ſcilicet, non commoveri. Prudenter Philoſophus; Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, ſed animum nocendi habuit. Et cum illũ in poteſtate tuâ videris, vindictam putabis, vindicare potuiſſe. Scito magnum & honeſtum vindictæ genus eſſe, ignoſcere. Maximam autem factæ injuriæ pœnam feciſſe, nec quemquam gravius affici, quàm qui ad ſupplicium pœnitentiæ traditur. Socrates, cum in viâ quidam per laſciviam illi calcem impegiſſet, admirantibus alijs, quòd id pateretur; Quid facerem inquit? Illis hortantibus uti vocaret ipſum in jus: Ridiculum, inquit, ſi quis aſinus me calce percuſſiſſet, diceretis mihi voca illum in jus? Nihil ſcilicet patientiſſimus vir intereſſe putabat, inter aſinum, & hominem brutum. Idem alias percuſſus, nihil aliud reſpondit, quàm, miſerum eſſe, quòd homines neſcirent, quandò cum galeâ eſſet prodeundum. Quid Cato? cum illi in foro cauſam dicenti Lentulus attractâ pingui ſalivâ, in mediam frontem, quantum poterat expuiſſet; abſterſit Cato faciẽ, ac dixit; Affirmabo omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant habere os. Atque hîc ſubſiſtens, carmen aliquod, ex 2. Libro variorum meorum Carminum, quo aliquandò Amicum ad patientiam cohortatus ſum, addo. Ignoſce, quiſquis hæc leges: Seneca.

*Ni te plus oculis meis amarem*
*Dilectiſſime . . . non monerem*
*Te tam ſollicitè, quid & nocivum,*
*Et quid utile ſit tibi futurum,*
*Dum ver floridulum juventa carpit.*
*Te nuper monui, monebo rurſus,*
*Ne (quod pectora concoquit bonorum)*
*Vt ſoles tremulo Patri reſiſtas.*

 *Eſt moro-*

*Eſt moroſior, eſt avariorque,*
*Sed hos canities, petita cunctis,*
*Adducit comites perennè ſecum.*
*Qualis qualis erit, tamen ferendus*
*Eſt tibi, potius modeſtus ipſum*
*Quàm perverſus, & obſtinatus audi.*
*Si duro fueris moleſtus idem,*
*Nihil proficies, reſuſcitatur,*
*Sed non repprimitur premendo, ſerpens.*
*Palpanti nihil aſperum ferumve eſt:*
*Vnda liberiùs vagans per alveum*
*Tranquillo pede labitur, fluitque*
*Aſt hæc, ſi lapides, trabeſve curſum*
*Rapacem impediant, ſonat furitque,*
*Et cum murmure bulliens ſonoro*
*Pugnantes lapides trabeſque quaſſat.*
*Omnis hoc habet ira, ſævienſque*
*Indignatio, creſcit in dolores*
*Et tormenta ſui, jugumque nullum eſt*
*Quod non duriùs urgeat morantem,*
*Quàm qui ſubſequitur ducem paratus.*
*Vnum eſt triſtibus in malis levamen,*
*Pati leniter. Et neceſſitati*
*(Vt virum decet) obſequi libenter.*

# Sapiens ſupervacanea bona negligit.

## *EMBLEMA XLI.*



*Diogenes quoſdam cernens haurire liquorem*
*Manu puellos limpidum,*
*Abjecit cyathum, palmas in pocula vertens,*
*Queis uſus eſt impoſterum.*
*Præcidit remoras Sapiens, quò promptius altam*
*Virtutis Ædem tranſeat.*

## COMMENTARIVS.

NIhil aliud olim Diogenes, quàm peram, pallium, & ſciphum, circumtulit, & ζωλω πίθȣ, id eſt, doliarem vitam agere ſolitus fuit. Adhunc Alexander Magnus ita ali-

quandò locutus fertur: Adſum, O Diogenes, tibi ſubventurus, cui Diogenes, uter noſtrûm pluribus eget, ego qui ultrà peram, & pallium nihil deſidero, an tu, qui non contentus patrio regno, tot periculis temet objicis, ut latius imperes, adeò ut vix totus orbis tuæ cupiditati videatur ſatis futurus? Hæc ad Alexandrum: Memor ſcilicet illius Apulei, in Apologiâ, ſententiæ; Pauperem me vis? prius avarum eſſe doceas neceſſè eſt. Quod ſi nihil in animo deeſt, de rebus extraneis quantum deſit non laboro. Aliquandò etiam, cum videret quoſdam pueros manu ſuâ aquam haurientes, & bibentes, indignabundus cyathum ſuum, tanquam ſupervacaneum, abjecit; innuere volens, ſuperfluis iſtis divitijs excluſis, habitaturam latiùs nobiſcum quietem, & tranquillitatem: quibus eò amplius loci erit, quò Fortunæ minus. Democritus olim etiam divitias abjecit, onus illas bonæ mentis exiſtimans. Poterat & Thales habere opes, ſed multò altius putavit contemnere; doctus ſcilicet, habere & Virtutem ſuas illecebras, quas guſtare & ruminare cum cœperimus, alias magnoperè non requiramus. Enimverò viri illi in exemplum nati, omnia, ut ſaperent, contempſerunt, & ad Bonam Mentem magno curſu, ac totis viribus contenderunt, præcidentes ea, quæ tenere, ac remorari poſſent: divitias dico, quæ multis ad Philoſophandum obſtitêre, cum contrà paupertas expedita ſit, & ad Philoſophiam, abſque viatico, pervenire liceat. Sapiens ille Bias, cum quidam patriam cepiſſet hoſtis, cæterique ita fugerent, ut multa de ſuis rebus aſportarent, cumque eſſet admonitus à quodam, ut ipſe idem faceret; Ego verò, inquit, facio, nam omnia mea mecum porto. Cordatus vir hæc Fortunæ ludibria, ne ſua quidem putabat, quæ nos appellamus etiam bona noſtra; quæ quæſitu difficilia, cuſtoditu anxia, & amiſſu nobis flebilia ſunt. Illi contrà quibus recta placent, ſecuri & liberi nihil petunt, & tota Fortunæ comitia prætereunt. Dant ſe Philoſophiæ, almæ animorum nutrici, ſatis habentes, ſi non algeant, non eſuriant; cumque Lucano ſic exclamant,

Cic. in Paradoxis.

Lib. 4.

*——— O prodiga rerum*
*Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,*
*Et quæſitorum terrâ, pelagoque ciborum*
*Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ,*

*Diſcite*

*Diſcite quàm parvo liceat producere vitam,*
*Et quantum Natura petat. Non erigit ægros*
*Nobilis ignoto diffuſus Conſule Bacchus,*
*Non auro Myrrhâque bibunt, ſed gurgite puro*
*Vita redit: ſatis eſt populis fluviuſque Cereſque.*

Et profectò

*Vt quiſque minimo contentus fuit,* Turpil.
*Ita Fortunatam vitam duxit maximè.*

In

# In Avaros.

## EMBLEMA XLII.



*Immundæ pecudes Sues, pigroque*
*Semper implicitæ luto ac ſepultæ,*
*Non proſunt niſi carnibus peremptæ;*
*Sic queis pectora faſcinavit aurum*
*Æternùm modò grunniunt, ſuoſque*
*Acervos tenues nimis queruntur,*
*Donec poſt ſua fata dignioris*
*Hæredis foveant, alantque luxum.*

COM-

## COMMENTARIVS.

PVblius Mimus ait, Avarus, niſi quum moritur, nihil rectè facit: Non ſecus ac Sus, immundum illud pecus, quod perpetuò ſuo luto immerſum, inter ingentem glandium copiam, ſemper grunnit, & queritur, nullique, niſi interemptum & mactatum, ſuo lardo prodeſt. Sic etiam turpilucricupidi (ut cum Plauto loquar) avari, magnas inter opes inopes ſunt Tantali; queruntur perpetuò, &

*Patulis rimantur faucibus aurum:*

Idque non ſolum in terrâ, ex mercibus ſuis ex Oriente & Occidente petitis, ſed etiam ſub terram, inque fodinas deſcendunt, quò eos uberrimus Fortunæ rivus inauret. Conqueſtus hoc eſt jam olim Poëta Ovidius,

*Itum eſt in viſcera terræ,* In Metam.
*Quaſque recondiderat, Stygijſque admoverat umbris,*
*Effodiuntur opes irritamenta malorum.*

Hos tales olim Regina Carum Semiramis ſic luſit: Monumento, quod ſibi parârat, hæc inſcribi juſſit, Quiſquis Rex pecuniâ eguerit, aperto monumento, quod voluerit capiat. Darius potitus eâ civitate, titulo credens, ſaxum ingens, quo claudebatur monumentum, vix amolitus, nihil quidem invenit pecuniarum, ſed ex altero ſaxi latere hoc inſcriptum repperit: Ni vir malus eſſes, & pecuniâ inexplebilis, haud quaquam mortuorum loculos moveres. Hoc pacto turpiſſimus avarus ſpe ſuâ cecidit, & irriſus abijt. S. Bernardus ſuper Cant. Serm. XXXVIII. ait, currum Avaritiæ quatuor vitiorum rotis vehi, quæ ſunt, Puſillanimitas, Inhumanitas, Contemptus Dei, & mortis Oblivio. Quæ verba ſi examinemus, veriſſima eſſe comperiemus. Primò Puſillanimitatem Avaritiæ adeſſe, ex eo patet, quòd infrà terram ſeſe demittat, dum aurum argentumque, viliſſimas terræ glebas eruit;

*Hoc quicquid placet, excitatque mentes* Boëtius.
*Infimis tellus aluit cavernis.*

Hinc eſt quòd Plutonem præfecerit divitijs Antiquitas; quòd ex imis terræ viſceribus, immò ab ipſis inferis petantur opes. Seneca de Beneficijs: Video ferrum ex ijſdem tenebris eſſe prolatum, quibus aurum & argentum, ne aut inſtrumentum in

cædes mutuas deeſſet, aut pretium. Porrò, ſecundum Ciceronem, nihil tam parvi, tamque anguſti animi, quàm amare divitias. Dicebat ille, avaros ita facultatum ſuarum curam gerere, quaſi eſſent propriæ, rurſus ex ijſdem nihil capere utilitatis, quaſi eſſent alienæ. Quod quid aliud, quàm Puſillanimitas? Sapientius Horatius,

*Mihi res, non me rebus ſubmittere conor.*

Secundò Inhumanitatem avaris ineſſe, teſtatur Seneca; In nullum Avarus bonus eſt, in ſe peſſimus; Idem etiam in Euclione oculis ſubjicit Plautus. Appoſitè illum hydropi comparat Horatius, quia ut illi

*Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ;*

Claud. Sic *Semper inops quicunque cupit.*

*Scilicet improbæ*

Horat. *Creſcunt divitiæ, tamen*

*Curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.*

Vt Indicæ formicæ, aurum è cavernis erutum, ſervant tantum, non fruuntur; ita dives avarus, non fruitur ipſe ſuis opibus, & alijs invidet illarum uſum, multaſque paraſſe divitias, non ei finis eſt miſeriarum, ſed initium. Nam adhuc quærendo (qui mos eſt avaro) cupiditas creſcit, & paupertas cupiendo. Dicebat ob id Epictetus, non eſt quòd avaris opes augeas, ſed tollas cupiditatem. Omnis enim cupido acquirendi, ex opinione inopiæ venit, nec refert quàm magnum ſit, quod tibi minimum eſt. Non habuit tantam rem familiarem Philus, quantam Lælius, nec Lælius, quantam Scipio, nec Scipio quantam Craſſus dives. At enim nec Craſſus quantam volebat. Ita cum omnes ſuperaret, à ſuâmet avaritiâ ſuperatus eſt; omnibuſque potius dives viſus eſt, quàm ſibi. Reſtat tertium vitium, Contemptus Dei. Dicet hoc tibi Iuvenalis,

(Apul. Apol. 1.)

*Falſus erit teſtis, vendet perjuria ſummâ*
*Exiguâ, Cereris tangens aramque pedemque.*

Et quartum, Oblivio Mortis; Quia ut nunquam moriturus, quò minus viæ reſtat, eò plus viatici ſibi quærit, & ut Horatius inquit;

*Secanda marmora*
*Locat ſub ipſum funus, & ſepulchri*
*Immemor ſtruit domos.*

His au-

His autem hominibus quid aliud impreceris, quàm quod Iuvenalis Pacuvio;

*Vincat Pacuvius quæſo vel Neſtora totum,*
*Poſſideat quantum rapuit Nero, montibus aurum*
*Exæquet, nec amet quenquam, nec ametur ab ullo.*

# Cæcus amor ſui.

## *EMBLEMA XLIII.*



*Dum ſua ſubjectis Narciſſus ſpectat in undis*
*Corpora, & in facie deperit ipſe ſuâ,*
*Spernitur à Nymphis, ſubitoque in pectore motu*
*Ipſe ſui eſt factus ſlos Hyacinthus amans:*
*Fabula narratur mutato nomine de te*
*Qui reliquos ſpernis cæcus amore tui.*

## COMMENTARIVS.

SVidas inquit Nymphas à Narciſſo ſpretas dixiſſe, πολλοὶ σέ τε μισοῦσιν ἂν σεαυτὸν φιλῇς, id eſt, Et multi te oderint ſi teipſum ames. Quod ut ad Emblema noſtrum torqueamus, ſcien-
dum

dum eſt eas Nymphas hîc intelligi, quas Sapientiæ præſides Antiquitas eſſe voluit, quæ elatum pectus fugiunt, humile verò amplectuntur, & exoſculantur. Eſt autem in hominibus, quidam cæcus amor ſui, quem φιλαυτίαν vocant: Hoc morbo licet plurimi laborent, nunquam tamen de remedio quærendo cogitant, ſemper ſibi patrocinantur, ſemper blandiuntur. Omnes nobis videmur eſſe belli, feſtivi, ſaperdæ, cum ſimus κάπϛοι. Varro. Neſcio quas Chimæras, quæ monſtra nobis fingamus; intereà autē auras, & nubes, pro Iunone, captamus miſeri Ixiones. Vſque adeò nihil magis officit progreſſibus noſtris, ac falſa opinio; Quicquid enim hæc præoccupavit, nunquam aſſequitur induſtria. Idcircò Sapiens huic vitio bellum indicat, non aquâ & igni, ſed toto ſuo pectore. Porrò quia Narciſſum, in aquâ, tanquam ſpeculo, ſe contemplantem, hoc Emblema repræſentat, pauca de ſpeculis, quæ huc facere videbuntur addam. Plautus in Epidico ſic inquit,

*Non oris cauſâ modò homines æquum fuit*
*Sibi habere ſpeculum, ubi os contemplarent ſuum,*
*Sed quî perſpicere poſſent cor ſapientiæ.*
*Vbi id inſpexiſſent, cogitarent poſteà,*
*Vitam ut vixiſſent olim in adoleſcentia.*

Inventa ſunt ſpecula (ait Seneca) ut homo ipſe ſe noſceret: Multi ex hoc conſequuntur, primò ſui notitiam, mox & conſilium Natural. quoddam: Formoſus ut vitet infamiam, ne corporis dignita- quæſt. lib. 5. tem, morum dehoneſtamento polluat: Deformis, ut ingenio corporis damna rependat, & virtutibus redimat, quicquid corpori deeſt. Amplius, ut Iuvenis flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, ſenex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret, admoveri ſibi lineas ſentiens.

# Mors introitus ad Vitam.

## EMBLEMA XLIV.



*Confectus ſenio Phœnix ſe mittit in ignem,*
*Vt proprijs iterum pullulet exequijs:*
*Diſcite Mortales Parcarum ſpernere fila,*
*Nam, quò vivamus, vivere deſinimus.*

## COMMENTARIVS.

Vide Pliniũ Lib. 10. Cap. 2.

DE Phœnice ſic Claudianus;

*Hic neque concepto fœtu, nec ſemine ſurgit,*
*Sed pater eſt proleſque ſui, nulloque creante*
*Emeritos artus fœcundâ morte reformat,*
*Et petit alternam totidem per funera vitam.*

Huic avi nos Chriſtiani, æquiparandi ſumus; cum ille dies quem impij

impij tanquam extremũ timent, nobis æterni natalis ſit. Quanquam hoc neget Ethnicus Poëta, cum inquit,

*Soles occidere, & redire poſſunt,* Catull.
*Nobis cum ſemel occidit brevis lux*
*Nox eſt perpetuò una dormienda.*

Sanius dux ad Eloquentiam Cicero; Supremus ille dies, non Lib.1.Tuſc. Quæſt. exſtinctionem, ſed commutationem loci adfert. Et alio loco; Si à Deo denunciatum videatur, ut è vitâ exeamus, læti, & agentes gratias, pareamus, emittique nos è cuſtodiâ, atque levari vinculis arbitremur. Si autem nihil denunciatum fuerit, eò tamen ſimus animo, ut illum horribilẽ diem alijs, nobis fauſtum putemus: nihil in malis ducamus, quod vel à Dijs immortalibus, vel à Naturâ, parente omnium, conſtitutum. Non enim temerè & fortuitò facti, & creati ſumus, ſed profectò fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano, ne id gigneret inter cætera, quod cum exantlaviſſet omnes labores, in mortis malum incideret ſempiternum. Paratum nobis perfugium potius putemus, quò utinam paſſis velis tendere liceat. Matthæus Cap.13: Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol, in regno patris ſui. Fœlices, mehercules, & ter beatos illos, qui vitæ præcedentis innocentiâ, fideque meruerunt tam præclarum de cœlo patrocinium, ut renati inter aſtra micare poſſint. Imaginemur, quæſo, quantus ille ſit fulgor, tot ſideribus inter ſe lumen miſcentibus. Seneca. Nulla ſerenum umbra turbabit, æqualiter ſplendebit omne cœli latus. O quàm habebit tunc animus noſter, quod gratuletur ſibi, cum emiſſus his tenebris, in quibus aſſiduò volutatur, totus illam lucem aſpexerit, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intuetur; & tamen illam procul admiratur! Hæc cum perpendimus, quis mortem temporalem metuat, cum æterna ante oculos vita ſit? quis labores carnis timeat, cum ſe in requie æternâ noverit collocandum? Audi iterum Ciceronem: Pro Dij immortales, quàm optabiliter iter illud ineundum eſt, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla ſollicitudo futura eſt? Legitur non-nemo in libris quæſtionum Tuſculanarum, cum Platonis libros de immortalitate animorum legiſſet, mox ſeſe è præcipite muro, in mare abjeciſſe, ut æterno illi Cœlitum concilio adſcriberetur. Refert Val. Maximus; Thraces olim natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebraſſe;

braſſe; gnari ſcilicet, ſine ullis Doctorũ præceptis, veræ noſtræ conditionis: ideòque, inquit, meritò ſibi ſapientiæ laudem vindicarunt. Et certè, ſi iſtæ plus quàm aniles ineptiæ pellantur, quid in morte miſeriarum invenias? At amaram eſſe dices. Reſpondet Orator; Habes ſomnum imaginem mortis, eumque quotidie induis, & dubitas quin ſenſus in morte nullus? cum in ejus ſimulachro videas eſſe nullum? Diogenes interrogatus num quid mali eſſet mors? Quo, inquit, pacto malum, cum præſentem non ſentiamus? quod autem abeſt, nulli malum eſt. Dum ſentit homo, vivit, nondum igitur adeſt mors, quæ ſi adſit, abeſt ſenſus. Malum autem non eſt, quod non ſentitur. Hanc ratiocinationem quidam tribuunt Epicuro; Mors quidem mala non eſt, ſed iter ad mortem. Id ſi metuimus, totâ vitâ metuendum eſt, quid enim hæc aliud, quàm iter ad mortem? Cunctos itaque Boëtij verbis alloquor

Lib. 3. Met. 10.

*Huc omnes pariter venite capti,*
*Quos fallax ligat improbis catenis*
*Terrenas habitans libido mentes,*
*Hîc erit vobis requies laborum,*
*Hîc portus placidâ manens quiete,*
*Hîc patens unum miſeris aſylum.*

E parvis

# E parvis citò magnus.

## *EMBLEMA XLV.*



*Quoſquos ex humili ſalire cernes*
*Ad faſtigia dignitatis altæ,*
*Crocodilo habeas pares, ab ovo*
*Qui creſcit minimo brevî ſtupendus.*
*Parte hâc diſſimiles tamen vocabis,*
*Quòd hic perpetuò augeatur, illi*
*In ſummo poſiti ruant ad imum.*

## COMMENTARIVS.

NArrat Pierius, in hieroglyphicis ſuis, Crocodilum è minimis initijs maximum citò capere incrementum: & Plinius

Nat.Hiſt. lib.8. cap. 25. refert eum, quamdiu vivit, creſcere. Huic animali Pierius homines, qui ex infimo, & humillimo loco ad ſummas dignitates emergunt, æquiparat: Hâc parte ego tamen eos diſſimiles arbitror, quòd, cum Crocodilus (ſecundum Plinium) perpetuò creſcat, illi contrà, ubi ad faſtigia pervenerint, ad ima tendant. Non ſecus ac ſtellæ, quæ ſubitò natæ, ſubitò evaneſcunt. Et naturalis ratio eſt, ut quibus vijs fiunt, creſcuntque omnia, ijſdem facilè reſolvantur. Hinc Vlpianus Lib. 48. ad Sabinum; Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidque diſſolvi, quo colligatum eſt. Exemplo nobis ſit, unum inſtar omnium, Romanum imperium, quod è paſtorali (ut ita dicam) tugurio, tantum ultrà reliquas urbes caput extulit,

Tit.de Diverſ. Regul. Iuris.

Virgil. Eclog. 1.

*Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.*

Ita ut ſub Principe Auguſto, magnitudine & fœlicitate ſuâ laborarit. Meruitque tandem triumphati orbis caput dici. Iam verò non amplius gaudij materia eſt, ſed humanæ fragilitatis, & Fortunæ variantis indicium. Certè hoc imperium tale fuit (ut Vell. Paterculus de Bruto, & Caſſio loquitur) quod prona Fortuna comitata eſt, & veluti fatigata maturè deſtituit.

Lib. 2.

A teme-

# A teneris aſſueſcendum.

## *EMBLEMA XLVI.*



*Fruſtrà, operam perdis, potuiſſet virga moveri*
*Cum nondum ſtaret viribus aucta ſuis.*
*Nunc robur mora longa dedit, citiùſque fatiſcet*
*Quàm queat in formam flectier illa novam.*

### COMMENTARIVS.

INgenioſiſſimus Poëtarum Ovidius inquit,
*Quæ præbet latas arbor ſpaciantibus umbras,* In lib. de Rem. Amor
*Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit,*
*Tunc poterat manibus ſummâ tellure revelli,*
*Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.*
Quo elegantiſſimo ſimili nos docet, præcipuum jam inde à

teneris, liberorum correctioni impendendum eſſe laborem. Tractanda eſt cera, dum molliſſima eſt. Virga ſi curva ſit, virga flectenda eſt in eam formam, quam ei perpetuam eſſe velimus, alioqui frangas citius, quàm corrigas, cum jam in pravum indúruerit; Et

Horat. *Naturam expellas furcâ, tamen uſque recurret.*

Fingenda eſt argilla etiamnum uda, imbuenda liquoribus optimis teſta eſt, dum rudis; tingenda lana, dum à fullone nivea venit, nulliſque maculis contaminata. Idem in tenerâ liberorum ætate obſervandum eſt: quorum natura, licet in pravum inclinare videatur, ſuperabilis tamen eſt. Efficax quidem res eſt natura, ſed hanc vincit efficacior inſtitutio. Themiſtocles mirantibus alijs, in adoleſcente quopiam, qui feroci, pravoque ingenio videbatur, mutatos eſſe mores, dicebat, aſperos & indomitos pullos, in optimos equos evadere, ſi quis illis diſciplinam, & maturam inſtitutionem adhibuerit: maturam dico, quia ſera ne hilum proficit. Antiſthenes, cum filium cujuſdam ſuſcepiſſet erudiendum, rogatus à parente quibus rebus opus eſſet, libro inquit novo, novo ſtylo, novâ tabellâ. Rudem nimirum, & vacuum animum requirebat Philoſophus. Nam ut ceræ vacuæ quidlibet imprimas, litteris autem exaratæ, parum, aut nihil: ſic etiam animo. Porrò, quia vicina eſt lapſibus adoleſcentia, &

Iuvenalis. *——— Dociles imitandis*
*Turpibus & pravis omnes ſumus;*

Ideò maximam diligentiam in educatione requirimus. Hæc enim bona, bonos efficit, mala, malos. Teſtatur hoc Seneca; Nihil magis fecit iracundos, quàm educatio mollis & blanda, ideò unicis quò plus indulgetur, pupilliſque quò plus licet, corruptior eſt animus. Non reſiſtet offenſis, cui nihil unquam negatum eſt, cui lachrimas ſollicita ſemper, mater abſterſit. Denique, ut Terentius inquit; (Lib. 2. de ira.)

*Licentiâ omnes reddimur deteriores.*

Ne itaque liberis feneſtram ad nequitiam aperiamus, celandus eſt ijs paternus animus; Nam

Baptiſt. Mant. *Sit licet in natos facies auſtera parentum,*
*Æqua tamen ſemper mens eſt, & amica voluntas.*

Fœnum Græcum, quò tractatur duriùs, fœliciùs creſcit, ſic etiam liberi

liberi, quò habentur contentiùs, meliore ſunt. Sed modus in omnibus ſervandus eſt, & (quod apprimè in vita eſt utile) ne quid nimis. Olim apud veteres, puer abs quopiam caſtigatus, ſi querelam ad patrem detuliſſet, turpe erat patri, ſi hoc audito non iterum filium emendaſſet. Siquidem, ex inſtitutione majorum, habebant hanc de ſe mutuo fiduciam, ut crederent, neminem eſſe, qui cujuſquam liberis quicquam imperaret inhoneſti. Sic omnibus ſenioribus eadem erat auctoritas, quæ patribus:


*Verba quis auderet coram Sene digna rubore* Ovid.
*Dicere? cenſuram longa ſenecta dabat.*

Præterea (ut Iuvenalis Satyra 14. teſtatur)

*Credebant hoc grande nefas, & morte piandum*
*Si juvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi*
*Barbato cuicunque puer; licet ipſe videret*
*Plura domi farra, & majores glandis acervos,*
*Tam venerabile erat præcedere quattuor annis.*

# Voluptatis præmium.

*EMBLEMA XLVII.*



*Cum coit, & dulci Veneris jacet ebria motu*
*Vipera, contruncat inſidioſa marem:*
*Hoc Venus omnis habet, primò ſua gaudia fundit,*
*Poſtmodò ſed ſtimulis corda fruentis agit.*

## COMMENTARIVS.

PLinius Lib. 10. Cap. 62. inquit, Viperæ marem, caput inſerere in os fœminæ, quod illa voluptatis dulcedine abrodit: Confirmat & hoc Orus Apollo, in ſacris ſuis ſculpturis. Nihil autẽ aliud per hoc notamus, quàm certiſſimam Voluptatis comitem eſſe Pœnitentiam. Boëtius Lib. 3. Met. 7.

*Habet hoc Voluptas omnis*

*Stimulis agit fruentes,*
*Apiumque par volantum,*
*Vbi grata mella fudit,*
*Fugit, & nimis tenaci*
*Ferit icta corda morſu:*

Quam ſententiam liberâ oratione ſic locupletavit: Quid autem de corporis Voluptatibus loquar? quarum appetitus quidem plenus eſt anxietatis, ſatietas verò pœnitentiæ. Quantos illæ morbos, quàm intolerabiles dolores, quaſi quendam fructum nequitiæ, fruentium ſolent referre corporibus? quarum motus quid habeat jucunditatis ignoro. Triſtes verò eſſe Voluptatum exitus, quiſquis reminiſci volet libidinum ſuarum, intelliget: O pulchra & appoſita verba: Reverà enim ſic eſt Voluptas, tunc cum maximè delectat, extinguitur, nec multum loci habet, itaque citò implet, & poſt primum impetum marcet. Statimque (ut Homericum illud habet)

τὼ δ' ἅμα χάρμα καὶ ἄλγος ἕλε φρένα, id eſt, Odyſſ.τ.

*Lætitia huic mærorq; ſimul præcordia cœpit*: Lætitiam dico, ſed falſam, veram enim ſcio Voluptati opponi, utpote quæ alta, & ex alto veniens: cum contrà Voluptas talis ſit, quæ terrenis & fragilibus innititur, quæ adventitio læta eſt, quamq; tum maximè, cum exultat, ſollicita ſubit cogitatio. Ad quod alludens aliquis, dixit, Voluptatem ore ſuo mel gerere, corde fel, & in dorſo anxios morſus. Quæ contraria ſimul eſſe, fortè aliquis miretur; quare Socratis fabulam, fidei faciendæ gratiâ hîc adducam: Quo tempore Saturno exacto, & cæleſtibus regnis pulſo, Iuppiter imperium conſtituere cœperat, ferunt coram eo adfuiſſe *Voluptatem & Dolorem*, cum graviſſimis poſtulationibus, & criminibus, quibus ſe mutuò inceſſebant. Iuppiter ratus ex uſu maximè eſſe & ſuo & Reipub. inimicitias, & odia deleri, operam dedit, ut in gratiam litigantes redigeret; ſed fruſtrà expertus omnia, tandem reluctantes, adamantinâ quâdam catenâ, inter ſeſe copulavit, ut quamvis inter ſe diffiderent, nihilominus neceſſariò ſimul, & unà eſſent, manerentque perpetuò. Plato in Phædone.

Hinc *Ita comparatum eſt in ætate hominum* Plaut. in Amph.
*Ita Dijs placitum, Voluptati ut Mæror comes conſequatur.*

Vtroque itaque carendum eſt, quia qui unum, habet & alterum; ubi enim uber, ibi & tuber, ubi mel, ibi fel. Et Apes ideò pungunt, Apul. Florid. L. 3.

pungunt, quia ubicunque dulce eſt, ibi & acidum invenies. Quod intelligentes priſci Romani, duas *Divas* ſemper colebant, *Angeroniam*, atque *Volupiam*, alteram ab Angoribus dictam, alteram à Voluptate. Et *Angeroniæ* ſimulachrum in Arâ *Volupiæ* fuit collocatum. Quo innuebant, extrema Gaudij poſſidere Mærorem. Hæc cum veris veriora ſint, quis non ſtultiſſimos illos venereos nepotulos judicet, qui, dum maximè ſuæ Helenæ inhiant, dum loca Ædilem metuentia adeunt, ut maſculum illum ſpiritum, in febriculoſæ alicujus meretriculæ amplexibus, efflent, tandem id referunt, ut hamum vorent: Quo ſuo malo, in conſuetudinem adducto, impoſterum carere non poſſunt. Nihil enim prodigæ ſatis eſt Voluptati, ſemper famem ſui patitur. Ergò, ut globus in altum miſſus non ſiſtitur, ita illi, ubi ſemel à rectis deerrarunt in vitia, à vitijs in prava, à pravis in præcipitia perveniunt. Quod Chriſtianæ religionis vexilliferum Auguſtinum non latuit, cum ita exclamaret: O Voluptates quàm faciles aditus habetis, dum ſuadetis, quàm verò difficiles habetis exitus? Dum ſuadetis inungitis, ſed poſtquam ſuaſeritis, uſque ad mortem animæ pungitis. Scitè olim, ſed malo ſuo edoctus, Lyſimachus dicebat; Dij boni quàm brevis Voluptatis causâ, quantam depoſui Voluptatem? Coactus enim fuerat ſe ob ſitim dare Scythis, ut frigidam aquam biberet; quâ auream illam Libertatem vendiderat. O utinam & multi id cogitent, dum perpetuum illud pœnitere, tam citò periturâ Voluptate emunt; quæ tamen, ſi ad illud conferatur, nulla eſt. Quid enim iſtud me juvet, ſi paulisper lucem videam, in arctiorem mox carcerem compingendus? Irritat hæc externa delectatio in nobis fluctum illum cupidinum, non aufert. Quapropter (ut monet Ariſtoteles) Voluptatem non venientem, ſed abeuntem aſpicientes, & latentem illam Syrenis caudam, fallacem illum Sinonē in oculis habentes, induremus animum, & blandimentis Voluptatum procul abſtrahamus, ut majore illo animi gaudio, illâ εὐθυμίᾳ fruamur; quam ubi adepti erimus, tum demum intelligemus, miſerrimos eſſe voluptuoſos, & Voluptatem capiemus maximam, quòd hâc Voluptate non capiamur.

Macrob. lib. 1. in ſomnium Scip.

Plaut.

Ambroſ.

Auguſt. de cōtrit. cordis Cap. 4.

# In Alcumiſtas.

## EMBLEMA XLVIII.



*Dum certis incerta ſequor, rem prodigus omnem*
*Converti in fumos, & miſeros cineres.*

### COMMENTARIVS.

ALcumiſtica, amabilis illa inſania, certæ egeſtatis, & caſſi laboris comes, curioſis ingenijs familiaris, quantæ vanitatis ſit, ex eo ipſo facilè apparet, quòd polliceatur, quæ natura nullo modo pati, nec attingere poteſt, dum rerum vertere ſpecies tentat, ac benedictum quendam Philoſophorum (ut vocant) lapidem fabricare præſumit, quo, Midæ inſtar, contracta omnia corpora, ilicò in aurum, argentumve permutentur. Quin etiam è ſummis, inacceſſiſque cœlis, quintam quandam eſſentiam depromere nititur, quæ præter infi-

nitas opes, etiam reviviſcentiam adferat. Sed quod maximè ridiculum, quibus ipſi ſpondent aurum, ab his aurum petunt.

*Nugipolyloquides* (ut ait Comicus) *argenti extenebronides,*
*Technipolyloquides, nummorum expalponides,*
*Quod ſemel arripides, nunquam poſteà eripides.*

Fingunt ſibi neſcio quæ monſtra, Leonem viridem, Cervum fugitivum, Aquilam volantem, Stultum ſaltantem, Draconem caudam ſuam vorantem, bufonem inflatum, & ſimiles innumeras nugas. Hæc illorum myſteria ſunt, his ducibus opus peragitur. Emuntur ollæ, vitra, carbones, metalla, & ſucci in abditis fornacibus recoquuntur, ut ex argento vivo, concretum & ductile, ad cudendam monetam efficiatur, & admirabilem abditarum naturæ rerum maſſam conflando, purum inde aurum efficiatur. Cum verò jam exſpectatur fœtus aureus, ne mica quidem auri provenit, ea tamen ipſis perſtat inſania, ut quò plus impenſum eſt, eò minus libeat deſiſtere.

Ovid. lib. I. de Art.

*Sic ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor,*
*Et revocat cupidas alea ſæpè manus.*

Perſ.

*Tandem deceptus & exſpes*
*Nequicquam fundo ſuſpirat nummus in imo.*

Miſer Alcumiſta, qui jam ætatem omnẽ inter experimenta conſumpſit, mercibus, patrimonijſq; omnibus decoctis, & in cinerem fumumque converſis, annoſus, pannoſus, eſuriens, ſemper ſulfur olens, &, ex aſſiduâ argenti vivi contrectatione, paralyticus, nihil præter pœnitere, gemere, & dolere ſibi reportat, utpote cujus errori damnũ, damno labor, & labori pudor accreverit. Sunt tamen quibus, nihil præ mirabili arte æſtimantibus, eſt etiã quædam paupertatis, in hoc ſtudio, ſuavitas, ne gratis in Naturæ ſecreta pervaſerint. Ridiculus hic morbus etiam Poëtam Augurellum tenuit, qui videns, eam curam inani voto ſuſceptam, ingenium ab irritâ ſpe, ad factitanda carmina convertit. In hunc ſic luſit Latomus;

Refert Paulus Iovius in Elogijs.

*Iocum vetuſtum refricans Aurelius,*
*Dum ſperat aurum, luditur carbonibus,*
*Adhuc Leoni ſcribit auri prodigo,*
*Iam certus artis, nempe Chryſopœiam,*
*Vt quod minus collegit è carbonibus*
*Avidi Leonis eriperet è dentibus.*

Bona

# Bona conſcientia in malis eſt ſecura.

## *EMBLEMA XLIX.*



*Alcedo medio quieta ponto*
*Ova parturit, incubanſque pullos*
*Excludit teneros, fovetque, donec*
*Niſus inſolitos ſciant volandi:*
*Queis mens integra, criminiſque pura eſt,*
*Exſultant medios vel inter hoſtes,*
*Ex ſeſe quia gaudium perenne*
*Habent, atque animi vigentis arce,*
*Ad quam non datur hoſtibus venire.*

## COMMENTARIVS.

Vid. Plin. lib. 10, cap. 32.

ALciones ſive Alcedines, in medio mari nidum conficiunt, idque mediâ Hyeme, quo tempore maximè ventorum impetu mare tempeſtuoſum eſt. Sed tum venti ſe remittunt, cum Alcedo ſeptem diebus incubat, excludit enim pullos totidem, qui cum cibum appetunt, ſeptem alios dies, ad pullorum incrementũ, minutiſſimo animali elargitur Deus. Omnes itaque, qui ſe mari committunt, id obſervant, eoſque dies Alcionios vocant.
Plautus, *Alcionia nunc apud forum ſunt;*
ubi de Iuſtitio loquitur. Et
in Pœnulo,

*Iam herclè tu periſti, niſi illam mihi tam tranquillam facis,*
*Quàm mare eſt olim, cum ibi Alcedo pullos educit ſuos.*

His autem avibus ſimillima eſt bona conſcientia, quæ pari faſtigio, eodemque vultu, inter amicos & hoſtes ſuos ſtat. Non ſecus ac in medio mari edita, ac altiſſimis defixa radicibus rupes, cujus ſumma fluctus ne attingunt quidem, infima ſic verberant, non ut eam commoveant, ſed ut ipſi frangantur. Narrant Poëtæ, Olympi cacumen ſemper eſſe quietum, propterea, quòd altius ſit, quàm ut eò vis ventorum, tempeſtatumque perveniat: ſic etiam hæc eſt, ſublimior, & excelſior, quàm ut iſtas iniquiſſimorum hominum calumnias ſentiat. Socratis animum triginta Tyranni, infringere non potuerunt. Papinianus interrito vultu à Tyranno cæſus eſt, cujus ſecuris, nobis ſecuritatem imprimere debet, pro juſtitia benè moriendi. Regulus luminibus in perpetuam vigiliam expanſis, periculis undique imminentibus, catenis circumfrementibus, non abſcondidit virtutem, ſed magis magiſque exeruit, ſuoſque gemitus ſub tortore devoravit;

*Regium hoc ipſum putans*
*Adverſa capere, quòque ſit dubius magis,*
*Status, & cadentis imperi moles labet,*
*Hoc ſtare preſſo certiùs fortem gradu:*
*Haud eſt virile, terga Fortunæ dare.*

Conſtituerant, ſcilicet, hi viri, cum Antiſthene, muros in animi ſui ſenſibus, nullâ vi, nullis machinis expugnabiles. Habebant

altum

altum illud gaudium, & ex alto veniens, quietem nimirũ mentis, & conſcientiæ in tuto collocatæ; quæ, non aliter ac Nepenthes, ab Homero prædicata, addita poculis, omnem convivij triſtitiam diſcutit; ita omnem malorum ſollicitudinem illis abolebat. Et certè neceſſariò ſequitur, Vbicunque pura mens eſt, ibi Deus eſt, ubicunque Deus eſt, ibi paradiſus, ibi cœlum, ibi fœlicitas vera, ubi hæc eſt, ibi verum gaudium.

*Hic murus aheneus eſto* Horat.
*Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.*

# Amor filiorum.

*EMBLEMA L.*



*Cum videt inſontes Pelicanus fervere pullos*
*Ignibus, ardentes inſilit ipſe rogos,*
*Et pius ad pulchram mavult contendere mortem,*
*Prolibus infœlix quàm ſupereſſe ſuis.*
*Non te ſparſa pudet natorum ſanguine mater*
*Ingenium brutis mitius eſſe feris?*

## COMMENTARIVS.

ORus Apollo in Sacris ſuis Sculpturis refert, Pelicanum, cum cæterarum avium more poſſit in editioribus locis ova reponere, id tamen non facere, ſed potius defoſſâ terrâ

terrâ,pullos ibi collocare. Quod ubi deprehenderunt homines, locum illum arido bovis ſtercore circumlinunt,cui & ignẽ ſubjiciunt: Pelicanus autem conſpecto fumo, dum alis ſuis vult ignem extinguere, è contrario earum agitatione accendit, quo quum conflagrent ejus alæ, facilè in ignem decidit, & ab aucupibus capitur. Quàm ob cauſam, non conſentaneum exiſtimarunt Sacerdotes, eo veſci, cum omninò pro pullis in diſcrimen ſeſe conjiciat. Adde quod hæc avis centũ & viginti diebus, quibus in prolis educatione detinetur,nunquã ad prædam longius provolet,uni illi curæ aſſiduò intenta,ne pullos deſerat. Quod ſi nihil aliud quicquã ſuggeratur occurratve,quod ijs in alimentũ paret, ipſe ſuis femoribus, roſtro vellicatis, ſanguinẽ ciet,quem pullis exugendum præbet. Monet nos hæc volucris, natos, qui pars noſtri & ſanguis ſunt, omni curâ fovere,ac diligere. Iubet hoc jus illud naturale, quod natura omnia animantia docuit: Inſt. Lib. 1. Tit. 2. §. 1. Quantâ curâ ac ſedulitate Ciconia pullos nutrit? Delphinus,conſpecto hoſtili piſce, prolem ſuam ingurgitat, deinde extrà periculi aleam poſitus, eam reddit ex alvo. Palumbes ſæviente frigore indificans,& partum excludens, ſibi plumas haud gravatur evellere, ut parvuli mollius cubent, quo fit, ut ipſa ſæpè mater gelu contabeſcat. Omnia denique animalia pro ſuo partu ita propugnant, ut nullos impetus, nullos ictus reformident. At proh dolor, immane quantum ſæpè homines rationales, ab hâc brutorum irrationalium naturâ degenerant? Dum ſua pignora relinquere non verentur,& in prædam canibus objicere non exhorrent? Dum ſua ipſius viſcera eviſcerant, dum naſcentium animas diabolicis ſuis medicamentis diſturbant? dum fructum hominis, qui in ſemine eſt, hominem denique ipſum perdunt? Hæc monſtra Ovid. ſic inſectatur;

*Quæ prima inſtituit teneros avellere fœtus,*
*Militiâ fuerat digna perire ſuâ.*
*Si mors antiquis placuiſſet matribus olim,*
*Gens hominum vitio deperitura fuit.*
*Quid plenam fraudas vitem creſcentibus uvis?*
*Pomaque crudeli vellis acerba manu?*
*Sponte fluent matura ſuâ: ſine creſcere nata,*
*Eſt pretium parvæ non leve vita moræ,*

*Veſtra*

*Veſtra quid effoditis ſubjectis viſcera telis?*
*Et nondum natis dira venena datis?*
*Colchida diſperſam puerorum ſanguine culpant,*
*Aque ſuâ cæſum matre queruntur Ityn;*
*Dicite quis Tereus, quis vos irritet Iaſon*
*Figere ſollicitâ corpora veſtra manu?*
*Hæc neque in Armenijs Tigres fecêre latebris;*
*Perdere nec fœtus auſa Leæna ſuos.*

Perdere? Immò pueros ſæpè à matre relictos ipſæ Leænæ, Tigres, & Lupæ uberibus ſuis aluerunt; cujus rei teſtes ſunt hiſtoriæ, cum Græcorum, tum etiam Romanorum. Nullum denique animantum genus eſt, quod non alat ſuos fœtus; & homines ſuos abjiciunt? Quid obſecrò crudelius ijs, qui prolem educationis tædio exponunt? An non in tales, competere videtur Græcorum etymologia, qui μητήρ dici putant, à μὴ τηρεῖν, id eſt, à non ſervando? Reclamat certè in os ipſa Natura, quæ fœminis duos turgidos illos in pectore fonticulos dedit, ſpontè ſuâ poſt partum fluentes, ut in lucem editos fœtus, delectabili illo ſucco alant. Monet & hoc terra, quæ ideo omnium parens dicitur, non quòd gignat tantum, ſed quòd nutriat etiam ea, quæ genuit. Quia autem hæc naturæ Lex, à ſceleratis hominibus aliquandò violatur, ideò jura civilia eam confirmarunt, vide L.5. Si quis à liberis ff. de Agnoſcendis Liberis. L. Si competenti judici C. de Alend. Liberis.

Iuſta

# Iuſta ultio.

## *EMBLEMA LI.*



*Vipera quæ coiens occiderat antè maritum,*
*A ſobole hoc idem ſupplicium patitur:*
*Tarda licet Nemeſis pœnam differre videtur,*
*Attamen à tergo dura flagella quatit.*

## COMMENTARIVS.

DIximus Emblemate XLVII. Viperam coeuntẽ, maris caput, ori ſuo inſertum, amputare, quod nefas proles tandem ulciſcitur, dum, matris alvum perrodens, erumpit. Docet autem nos hoc Emblema, differri aliquandò pœnam, non auferri, nec crimen quenquam in pectore geſtare, qui non idem Nemeſin in tergo. Sequitur enim illa Dea ſilenter

 & lento

& lento pede. Plutarchus in Problematis ſcribit, Tyrijs fuiſſe morem, ut Deorum ſtatuis vincula injicerent; quod Ænigma innuit, Deos ad ſcelerum ultionem lentè quidem procedere, ſed tamen aliquandò de malefactis pœnam ſumere, vel inopinatò. Horatius,

*Rarò antecedentem ſceleſtum*
*Deſeruit pede pœna claudo.*

Lib. 1. Vall. Max. Lento quidem gradu ira divina ad vindictam procedit, ſed tarditatem ſupplicij gravitate pœnæ compenſat. Vidit hoc Homerus, quamvis oculis captus, cum inquit,

Iliad. δ. *Quanquam non punit Iuppiter ilicò ſontem,*
*At faciet tamen, & luerit ſua crimina magno.*

Theocritus in Idyll. decimo,

Εὗρε θεὸς τὸ ἀλιτρὸν, ἔχεις πάλαι ὧν ἐπιθύμεις. id eſt,
Invenit Deus impium, habes quæ olim cupiebas.

Enimverò conſueverunt Dij immortales, quò gravius homines ex rerum commutatione doleant, quos pro ſceleribus ulciſci volunt, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere, ita tamen ut tandem τὸ ἀλιτρὸν inveniant;

Claud. ——— *Tolluntur in altum*
*Vt lapſu graviore ruant.*

Quod quanquam aliquandò non, aut tardius fieri videatur, tamen non fit, & idcircò de eo non querendum eſt. Quis tragædiam ſi ſpectet, indignetur, ſi Atreus ille, aut Thyeſtes in primo alterove actu ſublimes per ſcænam, & elati pauliſper incedant? Regnent, minentur, imperent. Scæna hæc mox ſanguine diffluet, & volventur in eâ purpureæ aureæque veſtes. (Lipſ. in Conſt.)

— *Improba nunquam*
*Spes lætata diu eſt.*

Semper enim impij aut internè, aut externè puniuntur. Internè, quia pœnam ſemper ante oculos verſari putant, qui peccaverunt, eamque non in publico tribunali, ſed in arcano pectoris ſinu experiuntur. Hîc eos inſectantur furiæ, non ardentibus facibus, ut in fabulis eſt, ſed angore conſcientiæ;

——— *Habitant ſub pectore manes*
*Vltriceſque Deæ.*

Et *Prima eſt hæc ultio, quòd ſe*

*Iudice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis*
*Gratia fallaci Prætoris vicerit urnâ.*

Veriſſimè Plato; ἀκόλουθος τῆς ἀδικίας ἡ τιμωρία, id eſt, cognatum, immò innatū omni ſceleri ſceleris ſupplicium. Iuſſiſti Domine (inquit Auguſtinus) & ſic eſt, ut pœna ſit omnis inordinatus animus. Quis autem eam ſolam punitionē cenſeat, quæ incurrit in oculos, quam corpuſculum hoc ſubit? Non eſt; Externa iſta omnia leviter, nec in longum nos angunt. Vt gravius ægrotare judicantur, qui tabe aut marcore laborant, quàm qui inflammatione aliquâ, aut febri, & tamen hæc magis apparent: ſic in graviore pœnâ improbi, qui lento illo paſſu ducuntur ad æternam illam mortem. Novi ſunt Titij, jecur renaſcens ſemper ſuæ tortrici aliti ſuppeditant, quod ita feritur, ut ſentiant ſe mori: O miſerum qui huic judici traditur; qui toties moritur, & non moritur.

Lib. 1. Confeſſ.

Lip. in Cōſt.

# Sapiens in omnibus providus.

## *EMBLEMA LII.*



*Ingredior lentè, & prætenſis cornibus omne*
*Exploro; Sapiens providet id quod agit.*

### COMMENTARIVS.

DOcemur hoc Emblemate, in omnibus eſſe providi, & lentè feſtinare; quod innuit hæc Limax, quæ quamvis tarda ſit, tamen ad optatam ſuam metam fœliciter ſæpiſſimè pervenit. Veteres olim Delphinum anchoram complectentem depingebant, quo hieroglyphico ſignificabant, in conſultando moram, in conficiendo celeritatem oportere dominari, alterumque altero debere temperari, quò videlicet ejuſmodi quidam animi habitus exiſtat, qualem Plato conflari

ſtari putat, ex Muſicâ, Gymnaſticâque, ſi pariter exerceantur. Sciebant ſcilicet divini viri illud Sophoclis veriſſimum,

*Periculoſam eſſe præproperam ſapientiam,* In Oedip. Tyranno.

Et eum, qui plus ſatis feſtinat initio, ſerius ad finem pervenire. Canis dum nimium properat, cæcos ejicit catulos. Prudenter itaque Terentius,

*Vide ne nimium calidum hoc ſit modo.*

Porrò quàm ſingularis virtus ſit temperata illa maturitas, probavit cunctator ille Fabius, qui Romanam cunctando reſtituit rem. Doctus ni fallor illud Mimi; Diu, ſcilicet, apparandum eſſe bellum, ut vincas celerius. Ammianus de Conſtantino: Hinc & deinde nec itinera, nec flumina tranſiri poſſe, ſine præſidijs putans, erat providus, & cunctator, quod præcipuum bonum in magnis ductoribus, opem ferre ſolet exercitibus & ſalutem. Et Pallas Iliad. α. à tergo adſtat Achilli, jamque manum admoventem gladio coërcet; docens violentos illos animi motus comprimendos eſſe, alioqui talis feſtinationis comites eſſe errorem & pœnitentiam. Teſtatur hoc Græcus ille verſiculus,

προπέτεια πολλοῖς ἐστιν αἰτία κακῶν, id eſt,

Multis malorum eſt cauſa præcipitantia. Scivit hoc verſipellis ille Ulyſſes, cum contrà Aiacem hæc efferret,

——— *Tibi dextera bello* Metamorp. Lib. 13.
*Vtilis, ingenium eſt quod eget moderamine noſtro,*
*Tu vires ſine mente geris, mihi cura futuri eſt,*
*Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum*
*Eligit Atrides, tu tantum corpore prodes,*
*Nos animo:*

Seneca; Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur; præterita cogita, præſentia ordina, futura prævide. Ergo, ut dicitur, omnia pedetentim perficienda ſunt. Terentius in Phormione;

*Dij bene vortant quod agis, pedetentim tamen.*

Quoniam (ut Plautus in Perſa)

*Si quam rem accures ſobriè ac frugaliter,*
*Solet illa rectè ſub manu ſuccedere, atque ædepol*
*Fermè ut quiſque rem accurat ſuam, ſic ei procedit.*

# In Adulatores.

## *EMBLEMA LIII.*



*Dum mentitur avem, dum Veſpertilio murem,*
*Muſtelas geminas callida ludificat:*
*Doctus Adulator pro vento carbaſa vertens,*
*Temporibus ſervit ſedulus uſque ſuis.*

## COMMENTARIVS.

Plin. lib. 10, cap. 61.

VEſpertilio tale eſt animal, quod an avis, an mus ſit, non abs re dubites; Sola enim volucrum parit, eique uni membraceæ ſunt pinnæ; eadem ſola lacte nutrit pullos, ubera ijs admovens. Hoc animal cum tale ſit, Muſtelas, quæ domeſticis animalibus, ijſq; alitibus infeſtiſſimæ ſunt, & ad internecionem uſque perſequuntur, ludit, dum nunc avis,

avis, nunc mus videtur. Quâ de cauſâ Pierius, in hieroglyphicis ſuis refert, Ægyptios eam ſolere adulatori æquiparare, qui, quemadmodum aqua præterfluens nullo certo colore eſt, ſed ſemper colorem ſubjecti ſoli refert: ita etiam ſui diſſimilis eſt, pro re natâ ſeſe adaptans. Gubernatores navium pro vento ſinus ſuos obliquant: Itidem ab adulatoribus fit,

*Vtcunque in alto ventus eſt, exin velum vortitur.*

Horum ingenia ita deſcribit Terent.

*Eſt genus hominum qui eſſe primos ſeſe omnium rerum volunt,*
*Nec ſunt, hos conſector, hiſce ego non paro me ut arrideant,*
*Sed his ultrò arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul,*
*Quicquid dicunt laudo, id rurſum ſi negant, laudo id quoque,*
*Negat quis? negò, ait, aio,*
*Poſtremò imperavi egomet mihi*
*Omnia aſſentari: is quæſtus nunc eſt multò uberrimus.*

Hæc homines inertiſſimi, quos bonæ mentis pœnitet, faciunt, ut caput unctius referant, ut emungant argento heros.

*Cum* (enim) *odor culinæ dimiſſis pedibus in cœlum evolat,* Plaut.
*Paraſiti oculis venaturam faciunt, atque aucupium naſo ſuo,*
*Semperque eis decempes umbra eſt gratiſſima.*

Idem in Captivis duobus,

*Cum res* (verò) *prolatæ ſunt, cum rus homines eunt,*
*Simul prolatæ res ſunt noſtris dentibus,*
*Quaſi cum caletur, cochleæ in occulto latent,*
*Suo ſibi ſucco vivunt, ros ſi non cadit;*
*Itidem paraſiti rebus prolatis latent,*
*In occulto miſeri victitant ſucco ſuo.*

De horum arte ſic Seneca Epiſt. XLV. Adulatio quàm ſimilis eſt amicitiæ? nō imitatur tantū illam, verum etiã vincit, & præterit; apertis & propitijs auribus recipitur, in præcordia ima deſcendit; eo ipſo gratioſa, quo lædit: Vnde eorum ſermonem non temerè quidam τύραννον τῶν φρενῶν appellavit. Bias interrogatus quod eſſet animal omniū maximè noxiū; Si de feris, inquit, percunctaris, Tyrannus, ſi de mitibus, adulator. Cōſtantinus Imperator aſſentatores, tineas, ſoriceſq; imperij nuncupabat; quos ſi

Prin-

Principes ſuâ aulâ ejicerent, næ illi Augiæ ſtabulum purgarent, & cum Hercule monſtrorum domitores dici poſſent. Satius eſſe dicebat Antiſthenes εἰς κόρακας ἢ κόλακας, id eſt, in corvos quàm adulatores incidere; nam corvi non comedunt niſi mortuos, adulatores adhuc viventes excoriant. Quare ille apud
Iliad. 1. Homerum ſic ait: Exoſus ille mihi velut inferni portæ, qui aliud quidem occultum habet in mentibus, aliud verò ore profert;

*Qui compoſita dicta pectore evolvit ſuo,*
*Quæ cum componas, dicta factis diſcrepant.*

Perſij adhortatione hæc concludo,

*Vos O patricius ſanguis, quos vivere par eſt*
*Occipiti cæco, poſticæ occurrite ſannæ.*

Et ibidem

*——— Examenque improbum in illâ*
*Caſtiges trutinâ. Nec te quæſiveris extrà.*

Exitus

# Exitus acta probat.

## *EMBLEMA LIV.*



*Diſtento petulans lac quod dedit ubere Capra,*
*Calcibus invertens mulctra refundit humi:*
*Sunt ſimiles Capræ, qui turpi crimine vitæ*
*Poſtmodò denigrant quæ benè cœpta prius.*

### COMMENTARIVS.

SI extremus ille actus in fabulis poſcit palmam, & honorificum illud Plaudere meretur, certè vitæ in honore peractæ hoc debetur quàm maximè; ſi ſcilicet in fine, qui (ſecundum Sacras litteras) coronatur, non inclinet, ſed æquabili curſu ad candidam illam metam decurrat. Paucis verò raro cœli favore hoc conceſſum eſt, niſi,

*Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera Virtus.*

Multorum quidem fervida vota ad laudem & gloriam, ad conſulares faſces pleno gradu contendunt; hæc autem ubi adepti ſunt, egregius ille impetus detepeſcit, naturam ac virtutem ſecuri dediſcunt, nec debitum ſibi gloriæ præmium ulterius exſpectant. Qui certè non aliter mihi facere videntur, quàm qui ex alto aliquo puteo aquam hauriunt, ubi magno molimine ſitulam propè ad os putei evexerunt, ſi paulum modò funem laxaverint, it ſitula, & deorſum concitatiſſimo lapſu provolvitur: ſic illis de anteactâ vitâ plurimum remittentibus, peſſum it quicquid adepti erant,

*Longique perit labor irritus anni.*

Hujus autẽ rei duas ſtatuo cauſas; Primam, ingeniũ humanum, quòd à labore proclive eſt ad otium; Secundam, Honorem & potentiam, quæ ſæpè impotentiam creant, & à veteri illâ viâ & vitâ ſeducunt. Sicut cœli inferiores à ſupero illo abripiuntur, & quamquam contranitentes tamen obſecundant: ſic infirmitas humana plerumq; ab iſtis. Privatis hominibus omiſſis, publicos tantum in medium adducam. Teſtis in re Romanâ Nero, qui hoc Traiani elogium de ſeſe meruit; Omnes etiam optimos Principes, longè à quinquennio Neronis abeſſe: hic ut magnus initio Princeps, ita magnum poſteà monſtrum fuit; dum matricida, fratricida, cinædus, citharædus, auriga, hiſtrio, & incendiarius, imperium Romanũ miſeris modis divexaret. Quid Lucullus? egregius herclè imperator, & quo meliores haud multos invenias, tamen delicijs & luxu univerſum decus & nominis ſui lumen exſtinxit; ita ut non hominem, ſed divitias peccaſſe dicas. Huic annumerari poteſt Metellus Pius, qui cætero vitæ tempore continentiſſimus, ad extremum jam ſenex, in Hiſpaniâ Conſul, fœdis indulſit voluptatibus, taleque morum paſſus eſt deliquium, ut ſiquis omnem vitam ejus, cum attentiore comparatione apud animum perpendere velit, duos in uno homine Metellos fuiſſe crediderit, eximium adoleſcentem, & ſenem turpiſſimum. Tantæ ſcilicet virtutis eſt, cum fœlicitate luctari, tantæ fœlicitatis à fœlicitate non vinci.

# Iuſtè fiunt quæ à Deo.

## *EMBLEMA LV.*



*Cur Iovis adſeſtrix Themis eſt? quòd juſta putanda*
*Quæ Divina Dei mens rata cunque velit.*

### COMMENTARIVS.

VEteres ideò Iovi Themin aſſidere volebant, quòd quicquid faceret, id eum juſtè facere crederent. Fuerunt tamen quidam, qui aut Deos nullos eſſe aſſerebant, aut de juſtitiâ eorum dubitabant; & ſic quos non capiebant carpebant: cum ſcilicet malis benè, bonis autem malè eſſe ſæpiſſimè animadverterent. Tragicus

Τολμῶ κατειπεῖν, μή ποτ' οὐκ εἰσὶ θεοί-
κακόι γὰρ εὐτυχοῦντες ἐκπλήττουσί με.

id eſt; *Audeo profari, ſunt ne, vel regnant Dei?*

 Nam-

*Namque improborum me attonat fœlicitas.*

Lucianus ἐστι τίς θεὸς, ἡ ἀδράστεια, καὶ τὰ τοιαῦτα ὁρᾷ? Et Timon apud eundem, ad Iovem; Quid enim faciat? ubi tu perinde ac ſub mandragorâ ſtertis, qui neque pejerantes exaudias, neque eorum, qui flagitia committunt, reſpectum geras? Diogenes Cynicus etiam dixit, Harpalum, qui temporibus illis prædo fœlix habebatur, contrà Deos teſtimonium dicere, quòd in illâ Fortunâ tam diu viveret. Claudianus quoque hîc graviter dubitat;

In Ruffinũ. *Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem*
*Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet*
*Rector, & incerto fluerent mortalia caſu;*
*Nam quum diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi*
*Præſcriptoſque maris fines, annique meatus,*
*Et lucis noctiſque vices, tunc omnia rebar*
*Conſilio firmata Dei.*

Addit,

*Sed cum res hominum tantâ caligine volvi*
*Aſpicerem, lætoſque diu florere nocentes,*
*Vexarique pios, rurſus labefacta cadebat*
*Relligio.*

Tandem tamen ad ſaniorem mentem redit, cum inquit,

*Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,*
*Abſolvitque Deos; jam non ad culmina rerum*
*Injuſtos creviſſe queror; tolluntur in altum*
*Vt lapſu graviore ruant.*

Boëtius etiam hoc proponit Lib.I. Metro.V. ſed huic etiam Philoſophia conſolatrix aptiſſimè reſpondet Lib.I. Proſa VI. & Lib.IV. Proſa II: Homines ſcilicet rerum fines ignorare, ideòque ſceleſtos & nefarios, potentes fœliceſque arbitrari, cum contrà, ſi perſonata illa fœlicitas detegatur, infœliciſſimi apparerent. Vndique enim terror & minæ illos circumfremũt, ubique ſuos manes patiuntur,

*Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

Videntur quidem laſcivire, videntur gaudere, ſed videntur tantum; idque ad tempus; Deum enim ultrix neceſſitas ſemper & ubique comitatur, eorum, qui à ſacrâ Lege diſceſſerunt, vindex futura. Quàm vindictam, quia meruerunt, ſemper exſpectant. Alteram dubitationẽ, quarè ſcilicet boni ſeverius ſepè habeantur,

tur,optimè tollet Seneca,qui ſic ait;Inter bonos viros & Deum amicitia eſt, conciliante virtute; amicitiã dico? immò etiam neceſſitudo & ſimilitudo,quoniam quidem bonus,ipſo tempore à Deo tantum differt.Diſcipulus ejus, æmulatorq; ac vera progenies eſt,quam parens ille magnificus, virtutũ non lenis exactor, ſicuti ſeveri patres, durius educat. Itaq; cum bonos viros exerceri, malos laſcivire vides, cogita filiorum nos modeſtiâ delectari, vernularum licentiâ; illos diſciplinâ triſtiori contineri, horum ali audaciam. In eundem ſenſum ſic Lactantius Lib.v. Cap. xxiii. Deus homines pro liberis habet, ſed corruptos ac vitioſos luxurioſè ac delicatè patitur vivere, quia non putat emendatione ſuâ dignos. Ideòque temporalia bona,non ſolum bonis dat, ne putent mali,propter ea Deum colendum. Rurſus ſi malis ſolis auferrentur,ea ſola putaretur eſſe pœna.Homerus. Lib. Cur bon. viris mala fiant.

*Iuppiter emetitur opes mortalibus, ipſi*
*Sic viſum ut fuerit cuicunque bonove malove.*

Fingamus itaque Deum dicere:Quid habetis,quod de me queri poſſitis,vos quibus recta placuerunt? Alijs bona falſa circumdedi, auro illos, argento & ebore ornavi; Intus boni nihil eſt. Veſtra ſola ſolida & ſincera eſt fœlicitas. Iam ad malorum pœnam quod attinet, non illos præterit,ſed differt,at cum fœnore ſoluturos. Quia nemo unquam ſupremo huic creditori decoquit. Atque hæc de Deo ſummè juſto. Quoniam autem, de eo etiam vera dicere,periculoſum eſt,terram legimus,ſimiles aquaticæ teſtudini,quæ dum fretum tranare cupit, ſtupore cogitatus obſidetur. Euclides olim interrogatus multa de Dijs, percommodè,reſpondit: Cætera quidem neſcio, illud ſcio,quòd odêre curioſos. Itaque deſinimus, certi ſi non ſtatim, tandem tamen molere Deorum molas.

# Animus nobilitat.

## EMBLEMA LVI.



*Parvus in aſtrigeram Scarabæus ſubvolat æthram,*
*Nec timet Armigero bella movere Iovis,*
*Nam quod iniqua illi robur Natura negavit,*
*Hoc animi ſupplet nobilitate ſui:*
*Surgite degeneres, quid adhuc terreſtria cordi?*
*Surgite, voſque animis eſſe putate Deos.*
*Spernit humum, longèque ſuprà mortalia tendens*
*Se modò ſubmittit mens generoſa Deo.*

COM-

## COMMENTARIVS.

SCarabæus animal eſt ex inſectorum genere; Græci κάνθαρον dicunt: Naſcitur ex incrementis animantium, aſpectu tetrum eſt, odore tetrius, ſonitu teterrimum. Huic animalculo tantum eſt audaciæ, tam heroica mentis vis, ut non dubitaverit, cũ ave multò pugnaciſſimâ, Aquilâ ſcilicet, bellum ſuſcipere, ipſamq; Homericam muſcam vincere. Cum enim aliquandò Scarabæus, ab Aquilâ gravi injuriâ eſſet affectus, omnes artes doloſq; in pectus advocavit. Cum itaque bis terve Aquilæ ova è nido deturbaſſet, aquila in ſinu Iovis ova ſua repoſuit, cumque necdum iræ Scarabæi ſatisfactum eſſet, ad ipſam Iovis arcem invictus ſubvolat. Paſtillum in hunc uſum è ſtercoribus paratum, in ſinum illius demittit. Iuppiter ut eſt ſordium inſolens, quippe in puriſſimâ mundi parte habitans, dum offenſus teterrimo odore, fimum è ſinu ſtudet excutere, aquilæ ova dejicit imprudens, quæ ex alto delapſa perierunt. Monemur autem hâç fabulâ duo: Imprimis nullum hoſtem, quamvis viliſſimum, contemnendum eſſe, nam & Leo minutarum avium cibus fit, &

*Parva necat morſu ſpacioſum vipera taurum.*

Sic Sartorius parvis initijs crevit, & cum anteà ſperneretur, poſtea à Metello, & Cn. Pompeio vix ſuperari potuit. Spartacus Romanum imperium conquaſſavit. Viriatius ex paſtore tandem dux factus, Luſitaniam occupavit. Nemo denique facilius opprimitur, quàm qui nihil timet, & frequentiſſimum initium calamitatis eſt ſecuritas. Alterum eſt quod Scarabæus nos monet; Neminem quamvis viliſſimis parentibus procreatum deſperare debere, ſed potius ſummâ vi, ad pulcherrima quæque contendere; patet enim omnibus honoris & gloriæ campus: ex hoc quiſque quod cupit petat, & aſſecutus ſibi debeat. Neminem facillima Diva, Virtus rejicit. Et omnes, ſi ad primam originem revocentur, à Dijs ſunt. Plato ait; Nullum Regem non ex ſervis eſſe oriundum, nullum non ſervum ex regibus; omnia iſta longa varietas miſcet. Erigamus itaque animos, & quicquid in medio ſordidi jacet, tranſiliamus, exſpectat nos in ſummo magna nobilitas. Audi Poëtam,

Vell. Paterc.

Seneca Iocus.

——— *Exſurge, & te quoque dignum*
*Finge Deo.*

Sobrie-

# Sobrietate Venus ſuperatur.

## *EMBLEMA LVII.*



*Vipera jejunis hominum conſparſa ſalivis*
*Exſpirat, medicis ſi ſit habenda fides:*
*Sic laſciva Caro, ſi tractes durius illam,*
*Concidet, & Mentis ſub juga colla dabit.*

## COMMENTARIVS.

VIpera ſalivâ jejuni hominis in fauces,& ad interiora penetrante,occiditur; Teſtes Plinius, Galenus περὶ κράσεως tertio, Alexander Aphrodiſius, Pierius in Serpente,& Lucret. Libro 4. de Natur. rerum

Lib. 28. cap. 4.

*Eſt itaque ut Serpens hominis contacta ſalivis*
*Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.*

Nec

Nec ſecus recalcitroſum illud jumentum Caro, quod durius & jejunius exceptũ, domino ſuo & Rectori paret, mollius tractatum, plurimum ei exhibet negotij, &, (ut Virg. inquit)

*Non audit habenas.*

Idcircò nihil poteſt eſſe efficacius ad domandum illud, modico jejunio, cujus vi vitia carnis extinguenda ſunt, non ipſa caro. Hujus obſervantiâ appropinquamus Deo, & reſiſtentes Diabolo, vitia blanda ſuperamus. Semper enim virtuti cibus jejunium fuit. Hinc procedunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, quibus Carnis appetitus enecantur, Spiritus vigor renovatur. Audi Auguſtinũ; Iejunium purgat mentẽ, ſublevat ſenſum, carnem Spiritui ſubjicit, nebulas cordis diſpargit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verò lumen accendit. Adde quòd

*Parcis victibus impedita corda* Prud.

*Infuſum melius Deum receptent.*

Contrà nihil ſic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, ſicut immodicus cibus, potuſque, ſeminaria certiſſima voluptatis, Ait enim non falſus vates

*Vt vino eſt accenſa Venus.*

Admonere ſolet Socrates, quod apud alios diceretur edere, aut convivari, id apud Athenienſes dici εὐωχεῖσθαι; quâ voce dicebat nos admoneri, eo temperamento ſumendum cibum, ut nec corpus, nec animus prægravetur. Dicebat etiam multos in hoc vivere, ut ederent, biberentque, quibus (ſecundum Satyricum)

ὠχὴ cibus & addito εὐ, ne ſarcina juſto gravior, imponeretur corpori.

——— *In ſolo vivendi cauſa palato eſt;*

qui, ut Mathematici omnia centro ac ſpatio, ita omnem voluptatem ventre circumſcribunt; ſe autem ob id edere & bibere dicebat, ut viveret; quòd his rebus non ad voluptatẽ, ſed ad neceſſitatem uteretur. Sed plerumque cum ſalutis cauſæ ſint, edere & bibere, adjungit ſe tanquam pediſſequa, periculoſa quædam jucunditas, quæ ſub neceſſitatis cauſâ ſic latitat, ut vix eam, niſi perfectus quiſque, diſcernat. Nam dum ſolum debitum neceſſitas petit, voluptas explere deſiderium flagitat, & hòc gula ſecurius in præceps ruit, quò ſub honeſtiore pallio ſeſe collegit. Hinc luxuries

*Quæ ſibi totos* Iuvenal. Satyr. 2.

*Ponit apros, animal propter convivia natum,*

quæ lixa, coxa, & bis terve condîta ſibi apparat, quæ tantas

 ſtruices

ſtruices concinnat patinarias, cum tamen natura paucis ſit contenta, & perinde ſit quid accipiat venter, perditurus quicquid acceperit. Ab his autem quid exſpectes præter mollitiem & libidines? Vegetius inquit; Corpus aſſuetum tunicæ, loricæ onus non ſuſtinet, caput opertũ linteo, galeam recuſat, mollem otio manum durus exaſperat capulus: ſic etiam corpus cibo potuque ſuffertum, pias reſpuit meditationes, pœnitentiæ duritiem, & ſeveritatem non ſuſtinet. Maximas denique Virtutes jacere neceſſe eſt, Voluptate dominante.

# Abſtinendum à potentioribus.

## *EMBLEMA LVIII.*



*Conqueritur Sonipes longæ de pondere caudæ,*
*Vtque levet quemvis voce precante rogat,*
*Dum rudis hanc tollit, ferratis calcibus ictus*
*Concidit, & pretium triſte laboris habet.*
*In magnis non tuta fides, præluſtria vites,*
*Vive tibi, & paribus jungere te ſtudeas;*
*Nam miſerum eſt tali ſocio ſe jungere, de quo,*
*Si noceat, nunquam ſit tibi poſſe queri.*

## COMMENTARIVS.

QVàm lubricum, quantiſque caſibus obnoxium ſit, cum magnis benè verſari, hoc Emblemate adumbratur. Ad quod interpretandum, paucula hæc quæ adferam virorum magnorum exempla dictaque non minimum facient. Expertus eſt hoc illuſtre illud Britanniæ lumen Thomas Morus, qui dum Regis Henrici octavi, in repudiandâ uxore, fœminâ (ut fertur) innocentiſſimâ, conſilio ſubſcribere nollet, illud canitie venerandum caput ſecuri ſubmittere coactus fuit. Ita ut cum Arato dicere potuerit; O Cephale hæc ſunt præmia regalis amicitiæ. Magno etiam ſtetit hæc Hermeæ, qui auctoritate plurimum in aulâ apud Antiochum valens, tandem in oculis Regis, ipſo eo probante interemptus eſt. Quid de Seiano dicam? qui in tam flagranti gratiâ apud Tiberium fuit, ut pro Collega (ſi Tacito credimus) in imperio habitus ſit, tandem tamen hoc reportavit, ut ultimo capitis ſupplicio plecteretur. Illudque Plutarchi verum eſſe comprobavit, nimirum, ut Arithmeticorum calculi aliquandò valent multis millibus, aliquandò nihil: ſic Regum amicos aliquandò quidvis poſſe, rurſus mutatâ in faſtidium gratiâ, nihil. Enimverò ille eſt Magnatum talium animus, omnia ſibi ignoſcit, potentiâ ſuam licentiâ metitur, parvo temporis intervallo homines in excelſo faſtigio collocat, & eoſdem rurſus ad extremam miſeriam redigit. Quemadmodum in vulnere prius apparet ſanguis, quàm plaga, & quemadmodum prius emicat fulgur, quàm tonitrus audiatur: ita apud Principes prius erumpit condemnatio, quàm probatio, & perijt delatus, priuſquam coarguatur; ita ut meritò dubites, periculoſiorne ſit charitas eorum, an odium; propè par malum, niſi quòd odium fugat, amor ille ſimulatus & fucatus detinet. Lucianus his ſequentibus coloribus Aulam potentum depingit; Nempe, Veſtibulum ſublime, & inauratum, abruptum, lubricum, ita ut plerumque, qui ſe ad ſummum perveniſſe putant, præcipites cervice fractâ dejiciantur. Intus opulentiæ, oſtentatio, ſpes fallax, ambitio, æmulatio, invidia, detrectatio, fumi, adulatorum multæ manus, pauca corda, crapula, luxus, corruptiones, avaritia, eaque omnia ſpecioſis fucis teguntur. Denique ut paucis dicam, Aulica vita, ſplendida eſt miſeria.

Vide Paul. Iovium in Elogijs viror. doctor.

Polyb. lib. 7

Polyb.

Hæc

Hæc cum ita ſeſe habeant, benè me hercules ſibi proſpiciunt, qui procul à turbidâ aulâ fugientes, & ut Diogenes dicebat, Πόῤῥω διὸς τε καὶ κεραυνοῦ, id eſt, procul à Iove & à fulmine, intrà pelliculam ſuam ſeſe continent; illud Adagium altè animo ſuo imprimentes, λάθε βιώσας, quod Horatius ſic expreſſit,

*Nec vixit malè qui vivens morienſque fefellit.*

Monet & hoc Ovidius, ſed nimiâ credulitate, quæ ab Apuleio deceptionum mater dicitur, illuſus. Hæc autem ejus verba ſunt ad Amicum Eleg. 4. Triſt. Lib. 3.

*Vſibus edocto ſi quicquam credis amico,*
*Vive tibi, & longè nomina magna fuge.*
*Vive tibi, quantumque potes prælustria vita,*
*Sævum prælustri fulmen ab arce venit*
*&c.*

Et paulò poſt,

*Vive ſine invidiâ, molleſque inglorius annos*
*Exige, amicitias & tibi junge pares.*

Plautus in Euclione,

*Venit hoc in mentem mihi Megadore, te eſſe hominem divitem,*
*Faſtuoſum, me item eſſe hominem pauperum pauperrimum,*
*Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit*
*Te bovem eſſe, & me eſſe aſellum, ubi tecum conjunctus ſiem*
*Vbi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego aſinus in luto,*
*Tu me bos magis haud reſpicias, notus quaſi nunquam ſiem.*
*Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat,*
*Neutribi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid divortij fuat;*
*Aſini me mordicus ſcindant, boves incurſent cornibus,*
*Hoc magnum eſt periculum ab aſinis ad boves traſcendere.*

Audi etiam querentem Senecam in Octavia,

*Quid me potens Fortuna, fallaci mihi*
*Blandita vultu, ſorte contentum meâ*
*Altè extuliſti? gravius ut ruerem editâ*
*Receptus arce, totque proſpicerem metus?*
*Melius latebam procul ab invidiæ malis*
*Remotus inter Corſici rupes maris,*
*Vbi liber animus, & ſui juris, mihi*
*Semper vacabat ſtudia recolenti mea.*

Hæc divinum illum virum pronunciaſſe auguror cum jam au-

licis fluctibus immerſus, aureiſque compedibus impeditus, inſtante & urgente Nerone, ſe ſibi vindicare non poſſet. Nimirum ut Indicæ Teſtudines, meridiano tempore blandiente, gaudent totæ dorſo per tranquilla fluitare, donec oblitis ſui, Solis calore ſiccetur cortex, ita ut mergi nequeant, & ſic oportunæ venantium prædæ fiant; ita etiam Aulici, in ſplendidam illam miſeriam ſe conjiciunt, unde poſteà ſe expedire nequeunt, ſed perpetuò Protei eſſe coguntur; hæcque ſumma eorum eſt diſciplina, obſervare tempora, ne quid intempeſtivius geratur, eaque non ab aſtris, cœlis, aut ab ephimeridibus captant, ſed à vino, à prandio, à venatione, ab accubitu, dum exhilaratus eſt Princeps,

*Et quos alios aditus & tempora norunt.*

Tum adſunt, alloquuntur, adblandiuntur, & arrident; ſequentes illud Ariſtotelis, ad Caliſthinẽ, conſilium, hortantis, ut cum Rege aut nunquam, aut jucundiſſimè loqueretur. Si injuriæ eis inferantur, patienter ferre debent, ut quondam ille Senex, qui interrogatus, quomodò, rem in Aulâ rariſſimam, Senectutem conſecutus eſſet; reſpondit; Injurias ferendo, & gratias agendo. O miſeram illam & tædioſam vitam, immò ut verius dicam, vitam non vitam. A naturâ libertate donati ſunt, & ipſi ſeſe in voluntariam illam ſervitutem conjiciunt. Quod olim exprobravit Diogenes Ariſtoteli, dicens; Tu, qui relictâ Academiâ te aulis addixiſti, cænas quandò Alexandro libet, at ego, quandò Diogeni. Vindica itaque vindica te in auream illam Libertatem, aut ſi eo loco res tuæ ſint, ut ab aulâ divelli nequeas, ſalutariter hoc, ex ſententiâ Alexandri Magni obſervabis; Nimirum ut in negotijs regalibus tanquam cum igne agas, à quo non abimus, ut illius calore foveri nequeamus, neque ita appropinquamus, ut illius incendio conflagremus. Per me autem,

*Stet quicunque volet potens*
*Aulæ culmine lubrico,*
*Me dulcis ſaturet quies,*
*Obſcuro poſitus loco*
*Leni perfruar otio.*

Sibi

# Sibi ſoli canere odioſum eſt.

## *EMBLEMA LIX.*



*Dum ſibi concentus Aſpendius edit, ubique*
*Spernitur, & populo diſplicet iſte ſonus:*
*Omnibus inſervire decet; Prudentia vera eſt*
*Publica privatis præpoſuiſſe bonis.*

### COMMENTARIVS.

QVi privati commodi impendiò ſtudioſi ſunt, ac ferè quicquid rerum agunt, id omne ad domeſticam referunt utilitatem, ij proverbio, intus canere, & à Græcis, Ἀσπένδιοι κιθαρισταὶ, id eſt, Aſpendij cithariſtæ dicuntur. Eraſ.Cil. 2. Cent. 1. Quemadmodum enim hi tacitâ, levique medulatione, ſiniſtrâ contractis chordis, cantilenam peragebant, ita ut vox ad citharædum

rædum dumtaxat, aut proximum perveniret: ſic hi homines ſibi tantum nati, domi ſuæ delitent, ac in occulto virtutem ſuam perdunt, in angulo & umbrâ culicis paſſus (ut ille dicebat) metientes: immemores illius Platonicæ ſententiæ; quâ aſſerit non ſolum nos nobis natos eſſe, ſed ortus noſtri partem patriam, partem amicos ſibi vindicare. Et certè quæ ſocietas pulchrior quæ gravior, quàm quæ cum patriæ noſtræ Repub. eſt. Nobiliſſimi civis eſt (inquit Caſſiodorus) patriæ ſuæ augmenta cogitare. Olim apud Antiquos qui Curiæ limen intrabant, abjectâ privatâ caritate, publicam induebant, neglectis privatis commodis, publicis ſtudebant. Teſtatur hoc Horatius Lib.2. Ode xv, ubi primò queritur de temporis ſui luxuriâ; cum inquit,

Lib.3, Epiſt. 10.

Val. Max.

*Iam pauca aratro jugera regiæ*
*Moles relinquent, undique latius*
*Extenta viſentur Lucrino*
*Stagna lacu, platanuſque celebs*
*Evincet ulmos.*

Et paulò poſt, antiquos mores citans, ait

——— *Non ita Romuli*
*Præſcriptum, & intonſi Catonis*
*Auſpicijs, veterumque normâ,*
*Privatus illis cenſus erat brevis,*
*Commune magnum, nulla decempedis*
*Metata privatis opacam*
*Porticus excipiebat Arcton,*
*Nec fortuîtum ſpernere ceſpitem*
*Leges ſinebant, oppida publico*
*Sumptu jubentes, & Deorum*
*Templa novo decorare ſaxo.*

Hæc paulatim fatis in pejus lapſa ſunt, cœperuntque quidam Rempub. quæſtui, & pro aureâ meſſe habere, non ſecus ac quondam Stratocles & Dromoclidas tribunal ſuum. Quod (ut Cicero inquit) non modò turpe, ſed ſceleratum & nefarium. Cum è contrario nihil in rebus humanis præſtantius, nihil præclarius ſit, quàm benè de patriâ ſuâ mereri. E publicis functionibus non locupletiores, ſed laudatiores debemus diſcedere. In hoc demum verum & ſolidum decus poſitum eſt. Ideò totâ mente in curâ eâ, cogitationeque perſiſtendum eſt. Videmus ut

illa quæ ſuprà nos ſunt ſidera, ætherem ſuum illuſtrent, pro radijs unaquæque ſuis: Terreſtris quidam æther Reſpublica eſt, in quo tanquam ſidera defixit nos homines Natura; exequamur munus noſtrum, ſpargamus lumen, & irradiemus quiſque pro fulgore noſtro, indubitatè ſcientes, omnibus qui patriam conſervaverint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cœlo, ac definitum locum, ubi beati ſempiterno ævo fruantur. Nihil enim Deo gratius, jucundiuſque in terris eſt, quàm quòd homines ipſius progenies parentis, quo ad ejus fieri poſſit, imitentur virtutem, atque probitatē, & derivatâ ad ſe parte aliquâ illius æternæ legis, ac gubernandæ Reip. rationis ac providentiæ, concilia ſibi & conventus inſtituant, coagmentent, ac vinculo illo Iuſtitiæ copulent. Porrò non is ſolū Reipub. præeſt, qui candidatos extrahit, qui tuetur reos, & de pace belloque cenſet, ſed etiam ille, qui juventutem à lineis aberrantem exhortatur; quales ſunt Philoſophi, qui in bonorum præceptorum inopiâ, virtutem ingerunt, qui ad avaritiam, aut luxuriem ruentes, retrahunt. Hi etſi domi morentur, in privato tamen publicum negotium gerunt. Quis Zenonem & Chryſippum minorà egiſſe dicat, quàm ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent, quas non uni civitati, ſed toti humano generi tulerunt? Nihil ergò eſt, quare tale otium non conveniat bono viro, per quod futura ſæcula ordinet, nec apud paucos concionetur, ſed apud omnes omnium gentium homines, quique ſunt, quique erunt. Dicebat Pythagoras vitam humanam eſſe ſimilem Panegyri, hoc eſt, ſolenni hominum conventui: ad quem alij conveniunt certaturi, alij negotiaturi, nonnulli ſpectatores modò futuri; ac cæteros quidem eſſe ſollicitos omnes, ſolum ſpectatorem ſecurum frui celebritate: hunc ſpectatorem aiebat eſſe Philoſophum, qui non ob aliud in hoc mundi theatrum prodijſſet, quàm ut naturas rerum, ac mores hominum contemplaretur, ac emendaret.

Cic. in Somn. Scip.

Seneca de vit. beata.

# Sis memor utriuſque fortunæ.

## EMBLEMA LX.



*Ecce triumphali Capitolia celſa petentem*
*Axe Ducem, ut reddat vota preceſque Iovi;*
*Præcedit captiva cohors victique Tyranni,*
*Victor & audaces aureus urget equos,*
*Hunc aliquis ſequitur qui tintinnabula pulſans,*
*Admonet à lætis rebus abeſſe fidem.*
*Fortunam reverenter habe; nam vitrea tota eſt,*
*Cumque nihil ſtatuis firmius eſſe, ruit.*

COM-

## COMMENTARIUS.

ROmani Imperatores, ſiquandò devictis hoſtibus triumpharent, Capitolium eburneo curru intrabant, hunc præcedebant captivi pedibus conſtrictis, ipſi autem currui adhærebat flagellum, & à latere aliquis ſequebatur cum tintinnabulo, admonens ipſum Imperatorem utriuſque Fortunæ. Sciebant ſcilicet homines ſapientiſſimi, facilius adverſas res ferri moderatè, quàm ſecũdas prudenter. Illæ enim ob metum futuri ſollicitos reddunt, hæ ob præteritam fœlicitatem, impellunt ad rerum omnium contemptum.

Virgil. *Neſcia mens hominum Fati, ſortiſque futuræ,*
*Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis.*

Hinc diſputat Boëtius Lib. 2. Proſ. 8. quæ Fortuna præferenda ſit. Hæc autem ejus ſunt verba; Etenim plus reor hominibus adverſam, quàm proſperam prodeſſe Fortunam; Illa enim ſpecie fœlicitatis cum videtur blanda, mentitur; hæc ſemper vera eſt, cum ſe inſtabilem mutatione demonſtrat. Illa fallit, hæc inſtruit. Illa ſpecie bonorum mendacium, fruentium mentes ligat, hæc cognitione fragilis fœlicitatis abſolvit: Itaque illam videas ventoſam, ſuique ſemper ignaram, hanc ſobriam, ſuccinctamque, ac ipſius adverſitatis exercitatione prudentem. Et certè, quotocuique obtigit, proſperâ fœlicitate uti, & ſapere? Raró cum Fortunâ bonâ, mens quoque bona homini data eſt.

*Centum doctûm hominum conſilia hæc una devincit Dea.* Plaut.

*Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis,* Ovid.
*Nec facilè eſt æquâ commoda mente pati.*

Prudenter itaque Horatius Europam monet,

——— *Benè ferre magnam*
*Diſce Fortunam.*

Tunc conſilia ſalutaria advocanda ſunt, cum nobis alludit vitæ proſperitas; & ut Terentius docet,

*Omnes cum ſecundæ res ſunt, tum maximè* In Phorm.
*Meditari ſecum oportet, quo pacto adverſam ærumnam ferant.*

Fecit hoc Philippus Macedo, cui cum nuncium eſſet allatum, multas res fœliciter & proſperè geſtas eſſe, (nam eodem tempore Tethrippo vicerat in Olympijs, & Parmenio Dardanenſes prælio fuderat, & Olympias ipſi maſculum fœtum erat enixa)

porrectis in cœlum manibus; O Fortuna, inquit, pro tot tantiſque bonis, levi quopiam malo me affice. Epaminondas, cum alias ſolitus eſſet uncto corpore, hilarique vultu, prodire in publicum, poſtridie ejus diei, quo fœliciter pugnatum eſſet in Leuctris, proceſſit ſquallidus ac ſummiſſus; Amicis autem ſciſcitantibus ecquid ei moleſti eveniſſet: Nihil inquit, ſed heri ſenſi me plus æquo mihi placuiſſe, ejus gaudij intemperantiam hodie caſtigo. Vir cordatiſſimus ſuſpectam habebat nimiam Fortunæ indulgentiam, cujus ingenium eſſe ſciebat, ut quibus exitium molitur, his prius novâ rerum proſperitate blandiatur. Idcircò

Seneca.

*Quò Fortuna altius*
*Evexit, ac levavit humanas opes*
*Hoc ſe magis ſupprimere ſapientem decet.*

Quia (ut Menander inquit) εὐκόλως πίπτουσιν αἱ λαμπραὶ τύχαι, id eſt, facile cadunt ſplendidæ Fortunæ. Adſtipulatur Plautinus ille,

In Captivis.

*Fortuna humana fingit, arctatque ut lubet,*
*Me qui liber fueram ſervum fecit, ex ſummo infimum,*
*Qui imperare inſueveram, alterius imperio obſequor.*

Suum

# Suum cuique pulchrum.

## *EMBLEMA LXI.*



*En ut Simia parvulos catellos*
*Præfert omnibus, omniumque formas*
*Deridet, neque ſe videt miſella*
*Nudam podice, clunibuſque calvam:*
*Nævos alterius videmus omnes*
*Lynceis oculis, ſuoſque talpa*
*Quiſque præterit, & videre non vult*
*Quid in tergore Manticæ geratur.*

## COMMENTARIVS.

DE Simijs hæc Plinius Lib. 8. Cap. LIIII: Simiarum quoque genera hominis figuræ proxima. Caudis inter ſe diſtinguuntur. Mirâ ſolertiâ viſco eas inungi, laqueiſque calceari, imitatione venantiũ tradunt. Huic generi præcipua ergà fœtum eſt affectio: Geſtant catulos, quos manſuefactæ intrà domos peperêre, omnibuſq; demonſtrant, tractariq; gaudent. Hæc ille: Ridiculis autem iſtis beſtijs, plerique hominum adſimiles ſunt, qui, omnia dicta factaque ſua, ſine rivali unicè amant, ac venerantur, & neſcio quomodò, magis in alijs cernunt, quàm in ſemetipſis, ſi quid delinquatur. Omnia ſibi ignoſcunt, nihil alijs remittunt. Hinc eſt quòd magis propriâ, quàm alienâ adulatione pereant. Quis enim eorum ſibi verum dicere audet? Exclamat Satyricus,

*Quàm nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo,*
*Sed præcedenti ſpectatur Mantica tergo.*

Cui non abludit illud Catulli ad Varum;

*Nimirum idem omnes fallimur, neque eſt quiſquam*
*Quem non in aliquâ re videre Suffenum*
*Poſſis. Suus cuique attributus eſt error;*
*Sed non videmus Manticæ quod in tergo eſt.*

Quid autem per Manticam indicetur, patet ex Apologo illo Æſopico, qui exſtat hujuſmodi apud Stobæum: Finxit Æſopus omnes mortales binas habere Manticas, hoc eſt peras: alteram ante pectus, alteram à ſcapulis tergoque pendentem. Sed in priorem, inquit, aliena vitia immittimus, in poſteriorẽ noſtra. Hanc humani ingenij cæcam φιλαυτίαν, non ſolum Poëtarum litteræ, verum etiam Euangelicæ notarunt, ſic enim Matthæus; Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in tuo non vides. Horat.

*Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,*
*Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum*
*Quàm aut Aquila aut ſerpens Epidaurius?*

In nos itaque deſcendamus, & malorum domeſticorum recordatione, deſinamus arrogantius inſectari vitam alienam. Vitium enim illud (ut Seneca inquit) de quo querimur, ſi diligentius excuſſerimus, in ſinu noſtro inveniemus. Idcircò ſapienter

ſapienter olim, ut teſtatur Plato in Charmide, præ foribus templi Delphici, ab Amphyctionibus hæc inſcripta viſebantur, γνῶθι σεαυτόν, Noſce teipſum: In quo dicto, à Deo emiſſo, aut immiſſo, modeſtiæ mediocritatiſque commendatio eſt, ne nobis vel majora, vel indigna ſequamur. Nam hinc omnis vitæ peſtis oritur, quòd ſibi quiſq; blandiatur, & quantum alijs præter æquum detrahit, tantum ſibi philautiæ vitio præter meritum tribuat.

Hoc de cœlo deſcendiſſe, inquit Iuvenal.

Patien-

# Patienter ferendum, quod neceſſe eſt.

## EMBLEMA LXII.



*Pendulus è laqueo Sturnus dum rumpere tentat*
*Vincla, laceſſitos implicat uſque pedes:*
*Perfer & obdura; Patientia plurima mollit*
*Quæ nequit humanum corrigere ingenium.*

## COMMENTARIVS.

SEneca quodam loco in Epiſtolis inquit; Omnis ira, omnis indignatio creſcit in dolorem, & tormentum ſui, nullumque jugum eſt, quod non arctius premat refractarium, quam ſpontè ſequentem. Benè profectò; Videmus enim in omnibus humanis caſibus hoc fieri, quos patientia mollit, impatientia crudeliſſimè exaſperat. Vulnus quid tam crudum facit,

facit, quàm ferendi impatientia? piſces hamo pendentes ſi ſe moveant aut quaſſent, magis intricantur, avis viſco aut plagis deceptæ, ſi ſe explicare tentent, magis implicantur & oblinuntur, dumque

*Pugnando vincula tentant*
*Rumpere, pugnantes fortiùs illa tenent.* Ovid.

Quibus exemplis monemur, caſus nobis à Deo ſupervenientes, patienter ferre. Certè,

*Durum, ſed levius fit patientiâ,*
*Quicquid corrigere eſt nefas.* Horat. Ode 24. lib. 1.

Ovid. in Metam. de Philemone & Baucide,

*Paupertatemque ferendo*
*Effecêre levem.*

Virg. *Superanda omnis Fortuna ferendo eſt.*

Seneca: Libenter feras quod neceſſe eſt, dolor enim patientiâ vincitur. Et huic cognatum illud Tragici,

*Patiens quiſquis novit famulum* In Herc. Oetæo.
*Regemque pati, vultuſque ſuos*
*Variare poteſt, pepulit vires*
*Ponduſque mali, nec ſervit inops*
*Caſus animo qui tulit æquo;*

Scivit hoc ille Mitio Terentianus, cum Demea quærit; In Adelp.

*Placet tibi factum Mitio?* Mit. *Non, ſi queam*
*Mutare: nunc quum nequeo, æquo animo fero.*
*Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris,*
*Si illud quod eſt maximè opus jactu non cadit,*
*Illud quod cecidit forte id arte ut corrigas.*

Et Grudio apud Plaut. in Moſtellaria;

*Quid tu vis fieri? non omnes poſſunt olere unguenta exotica*
*Si tu oles, neque ſuperior quàm herus accumbere,*
*Neque tam facetis quàm tu vivis victibus,*
*Tu tibi iſtos habe turtures, piſces, aves,*
*Sine me alliatò fungi Fortunas meas;*
*Tu Fortunatus es, ego miſer: patiunda ſunt.*

Prudenter ille; Quid enim aliud eſt æqualiter ſe in adverſis gerere, quàm ſævientẽ Fortunam, in adiutoriũ ſui, pudore victam, Val. Max.

convertere? contrà, magna eſt inſcitia, adverſus ſtimulum calcitrare. Vincamus itaque ratione præſentem calamitatem; ſciamuſque non caſu delatam nobis, ſed quaſi delegatam. Bonus miles fert vulnera, enumerat cicatrices, & tranſverberatus telis, moriens amat eum pro quo cadit. Quiſquis autem plorat, & queritur imperata facere, cogitur; Sic & nos

Senecæ locus in lib. de vita beata Cap. 15.

*Ducunt volentes fata, nolentes trahunt.*

Quæ autem dementia eſt, potius trahi, quàm duci? Ad hoc ſacramentum adacti ſumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ evitare noſtræ poteſtatis non eſt. In regno nati ſumus Deo parere, vera eſt libertas. Euripides

Δεῖ φέρειν τὰ τῶν θεῶν.

In Phœniſſ.

Invidia

# Invidia ſibi pœna.

## *EMBLEMA LXIII.*



*Livorem refugæ ferunt ſagittæ*
σοφοὶ *conſimilem; ſagitta ſi quid*
*Collimet ſolidi, reſultat, & non*
*Scopum, ſed miſerum ferit magiſtrum:*
*Sic & pectore maſculo, & cachinnis*
*Spretus invidus, in ſuum retorquet*
*Sagittas animum, ſibique pœna eſt;*
*Quiſquis invidiâ movetur, ille*
*Scopum præbuit invidi ſagittis.*

## COMMENTARIVS.

DIviniſſimus Philoſophorum Seneca, in Libro de Tranquillitate animi, effectum invidiæ ſtatuit, diſplicere ſibi. Hoc oritur ab intemperie animi, & cupiditatibus timidis, aut parum proſperis, ubi aut non audent miſerrimi homines quantum concupiſcunt, aut non conſequuntur, & in ſpem toti prominent, ſemper inſtabiles mobileſque. Quod neceſſe eſt accidere pendentibus. Omni vitâ pendent, & inhoneſta ſe ac difficilia docent, coguntque, & ubi ſine præmio labor eſt, torquet illos irritum dedecus; & dolent ſe prava fruſtrà voluiſſe. Tunc illos & pœnitentia cœpti tenet & incipiendi timor, ſurrepitque illa luctatio animi, non invenientis exitum; quia nec cupiditatibus ſuis imperare, nec obſequi poſſunt: & cunctatio vitæ parum ſe explicantis, & inter deſtituta vota torpentis animi ſitus. Quæ omnia graviora ſunt, ubi odio infœlicitatis operoſæ, ad otium profugerunt, & ad ſecreta ſtudia, quæ pati non poteſt animus, naturâ inquietus, parum ſcilicet in ſe ſolatiorum habens: ideòq; detractis oblectationibus, quas ipſæ occupationes diſcurrentibus præbent, domum, ſolitudinem, parietes non fert, invitus aſpicit ſe ſibi relictum. Hinc illud eſt tædium, & diſplicentia ſui, & nuſquam reſidentis animi volutatio, & otij ſui triſtis atque ægra patientia, utique ubi cauſas fateri pudet, tormenta introrſus egit verecundia, in anguſto incluſæ cupiditates ſine exitu ſeipſæ ſtrangulant. Inde mæror marcorque, & mille fluctus mentis incertæ, quam inchoata habent ſuſpenſam, deplorata triſtem: inde ille affectus otium ſuum deteſtantium, querentiumque nihil ſe habere quod agant, & alienis incrementis inimiciſſima invidia. Alit enim livorem infœlix inertia: & omnes deſtrui cupiunt, quia ſe non potuerunt provehere: & ex hâc deinde averſatione alienorum proceſſuum, & ſuorum deſperatione, obiraſcens Fortunæ animus, & de ſæculo querens, & in angulos ſe retrahens, & pœnæ incubans ſuæ, dum tædet ſui pigetque. Hæc ille: Quibus eleganter originem cauſamque depingit invidiæ; quæ non tam alijs, quàm ſibi ipſi inimica eſt. Si enim benè rem excutimus, comperiemus invidiam ſibi ignominiam, illi autem cui invidet gloriam parere; quia dum perpetuò invidos illos oculos, in illum

illum conjicit, atque in eum, quid agat, quomodò vivat, inquirit, hæc illi honorifica incumbit neceſſitas, ut omnia dicta, factaque ſua ad normam recti componat, ne ſi ab illâ vel latum unguem diſcedat, invidiæ gaudendi materiam præbeat. Illi enim

*Riſus abeſt, niſi quem viſi movêre dolores,* Ovid. in Metam.
*Et videt ingratos, intabeſcitque videndo*
*Succeſſus hominum, carpitque & carpitur unà,*
*Suppliciumque ſuum eſt.*

Expedit enim illi neminem videri egregium, quaſi aliena virtus exprobratio illius vitiorum ſit. Porrò demens ſit, qui ſpicula hujus monſtri curet; cum genus ultionis ſit, ei, qui invidet, invidiæ voluptatem contemnendo eripere. Stultus etiam, qui, ut invido placeat, virtutes ſuas occulat & abſcondat,

*Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.*

Exercendi ſunt oculi Noctuæ claram lucem non ferentis, & ad honeſta vadenti, contemnendus eſt iſte invidorũ contemptus. Audi Horatium,

*Invidiam placare paras Virtute relictâ?*
*Contemnêre miſer, vitanda eſt improba Syren*
*Deſidia, aut quicquid vità meliore paraſti*
*Ponendum æquo animo.*

Eleganter Demetrius dicere ſolebat, eodem loco ſibi eſſe invidorum voces, quo ventre redditos crepitus; Quid enim dicebat mea refert, ſurſum illi, an deorſum ſonent. Et certè (ſecundum Senecam) nihil ſtultius eſt, homine verba metuente. Gemant invidi, & infœlicem linguam bonorum exerceant convitio. Inſtent, commordeant, multò citius frangent dentes, quàm Seneca de Vit. Beata.
impriment. Illuſtratur virtus noſtra per ea ipſa, per quæ petitur. Produci enim illi & tentari expedit: nec ulli magis intelligunt quanta ſit, quàm qui vires ejus laceſſendo ſenſerunt. Duritia ſilicis nulli magis, quàm ferientibus nota eſt. Præbeamus nos, non aliter quàm rupes aliqua, in vadoſo mari deſtituta, quam fluctus non deſinunt, undecunque moti ſunt, verberare: nec ideò aut loco eam movent, aut per tot ætates crebro incurſu ſuo conſumunt. Aſſilite, facite impetum, ferendo vos vincam. In ea quæ firma & inſuperabilia ſunt, quicquid incurrit, malo ſuo vim ſuam exercet. Proinde quærite mollem aliquam cedentemque materiam, in quam tela veſtra figantur. Sic ſic invidiæ tædium

devoremus, ſciamuſque, ut flammam primùm emicantem multus comitatur fumus, qui evaneſcit jam invaleſcente & explicante ſeſe flammâ, ita res egregias aggredientem, magnâ premi invidiâ, eâque tamen eum moveri non debere: Nam ut excors ſit, qui adverſis ventis jam diu navigans, & in altum provectus, otij tranquillitate portum petat: ſic qui tum negotium relinquit, cum jam dudum cum invidiâ eſt luctatus, & citrà eam impoſterum vivere poſſet; ubi ſcilicet

Virg.

*Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum*
*Venerit in Latium, ſedes ubi Fata quietas*
*Oſtendunt:*

Latium deſigno, illam excelſam Virtutis Ædem, illud

Claud.

*Meriti ſpacium, quod nulla furentis*
*Invidiæ menſura capit.*

Hîc nobilis ille noſter Athleta ventos ridebit & imbres, major jam omni invidiâ, quam ſuâ virtute extinxit: Non ſecus ac Sol ſi immineat hominis vertici, aut prorſus tollit umbram, aut minimam reddit. Videte nunc illuſtres animæ, quæ cum invidiâ luctamini, quàm præſtet eſſe invidioſum, quàm miſerabilem. Scivit hoc Aitaphium Ancilla apud Plautum, cum inquit,

In Truculento.

*Mavelim mihi inimicos invidere, quàm me inimicis meis,*
*Nam invidere alij bene eſſe, tibi malè eſſe, miſeria eſt,*
*Qui invident egent, illi quibus invidetur rem habent.*

Veriſſima eſt vulgata illa ſententia, unicam eſſe miſeriam quæ careat invidiâ. Cui accedit arguta illa Poëtæ imprecatio,

*Omnibus invideas livide, nemo tibi.*

In

# In Sophiſtas.

## *EMBLEMA LXIV.*



*Ingenti ſtudio componit Aranea telam,*
*Et tamen à cunctis ſpernitur illud opus.*
*Sic magnas magno promis molimine nugas*
*Dum vigilas ſtudijs vane Sophiſta tuis.*

### COMMENTARIVS.

Appoſitè Aranearum telis vani Sophiſtarum Elenchi, & captiones æquiparantur, licet enim magno labore conſtruantur, nihil aliud tamen ſunt, quàm quiſquiliæ volantes, & venti ſpolia, &, ut Origenes inquit, Ægyptiacæ ranæ, quæ tametſi aſſiduò oggänniant, oblatrentque prætereuntibus, & odioſam illam cantilenam βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ, iterent

iterent ſine, ſine tamen nemo commovetur, aut doctior redditur. Quemadmodum Bonaſo cornua oneri ſunt tantum, nulli autem uſui, quia adeò in ſe ſunt reflexa: ſic illi ſuam habent Dialecticam, quâ tamen neminem, quia adeo intorta & intricata eſt, vincere poſſunt. Nihilominus tamen illi ἐκ πώγωνος σοφοὶ, id eſt, barbæ tenus ſapientes, adeò nugis iſtis intenti ſunt, ut propemodum cum Chryſippo præ fame moriantur. Hærent in verbis, & ætatem totam in adytis Philoſophiæ terunt, penetralia nunquam vident. Rem illam magnificam Philoſophiam ex majeſtate ſuâ, in magnas anguſtias detrudunt, vocando eam ad ſyllabas, quæ utinam non proſint tantum, ſed maximè nocent. Comminuitur enim & debilitatur generoſa indoles, in iſtas anguſtias conjecta. Ad hæc illi ſupercilia ſubducunt, in hoc barbam dimittunt, hæc triſtes docent, & pallidi. Fugitivis clamoribus non ad calamos, ſed ad obliviosas aures ſemper certant. Riſit hos tales olim lepidè Demonactes Philoſophus, cum enim duos indoctos, inter ſe diſputare videret & rixari, quorum alter abſurda rogaret, alter nihil ad rem reſponderet, Non videtur vobis, inquit, amici, alter horum mulgere hircum, alter ei ſupponere cribrum? Innuens nihil aliud eſſe ſophiſmata, quàm inanes nugas, quas tamen, quod eſt turpiſſimum atque ineptiſſimum, habent difficiles. Atque hæc de elenchis. Quorum tamen etiam proſpiciendas ſtatuo fallacias, ſed proſpiciendas tantum, ne verba nobis dentur, & ne quid in illis magni ſecretique boni eſſe exiſtimemus. Venio ad veram illam Philoſophiam, quam terris exulantem Socrates de cœlo revocare conatus eſt; hanc divinam planè judico. Scimus illam eſſe matrem omnium artium, donum & inventum Deorum, quod ab animo, tanquam ab oculis, caliginem diſcutit, ut omnia ſupera, infera, prima, media, ultima videremus. Hæc eſt illa quæ de moribus quærit, quæ affectus temperat, quæ timori, quæ ſpei metam ponit, aut modum. Quæque (ut breviter Senecæ verbis dicam) humano generi promittit conſilium. Divina certè & ineffabilis vis, quæ utinam, quemadmodum univerſi mundi facies, in conſpectum venit, ita tota nobis poſſet occurrere. Profectò omnes in admirationem ſui raperet, relictis his quæ nunc magna, magnorum ignoratione credimus. Hanc autem nunquam ſatis laudatam ſcientiam, Sophiſticæ abuſus (ut plerum-

Marginal notes: Plutarch. (beside "tur. Quemadmodum"); Seneca, (beside "netralia"); Idem. (beside "quid in illis"); Idé Ep. 89. (beside "certè & ineffabilis")

plerumque vitia ſe aſſociant virtutibus) malè audire fecit. Scilicet ut vinum, quo nihil ſalubrius, quibuſdam venenum eſt; ſic ſophiſtis Philoſophia, quâ abutuntur. Hinc eſt quòd ſanctiſſimi patres adeò in eam invecti ſint. Gregorius Nazianzenus: In Eccleſiam, velut quædam Ægyptiacæ peſtes, Philoſophi irrepſêre. Tertullianus; Philoſophi patriarchæ hæreticorum. Ambroſius Antiſtes; Phalerata magis, quàm vera ſapientia, quæ aliena quærit, cum ſua neſciat, cœli plagas ſcrutatur, Deum ignorat, quem ſolum noſſe debebat. Hæc illi. Sanè primis illis Eccleſiæ temporibus, plurimi erant qui Chriſtum aſſumerent ore, Platonem autem animo non exuerent. Hinc illæ Patrum in falſam Philoſophiam calumniæ. Enimverò Scænicam illam meretriculam res ſuas ſibi habere voluerunt, & à ſacroſanctâ Theologiæ æde pedem referre, ut Siren uſque in exitium dulcis, cantare, ſive garrire deſineret. Nobis autem qui Chriſtum profitemur, alia mens ſit, navim noſtram ſemper avertentes ab iſtis argutiarum ſalebris, velificationes noſtras ad unum tranquillæ mentis portum dirigamus; Ad quam nos transfer O æterna æterni Patris Sapientia.

# Indoctus ipſe alios juvo.

## EMBLEMA LXV.



*Sunt Aſini cantare rudes, tamen oſſa miniſtrant*
*Quæ fiſtulis aptiſſima;*
*Sic quibus eſt res ampla domi, tenues ſtudioſos*
*Opibus juvare convenit.*

### COMMENTARIVS.

NIhil magis commendat divites, quàm ſi divitias ſuas in laudabiles uſus expendant, egenos ſcilicet ijs ſuſtentando, aut pauperculos ſtudioſos, qui ad artes illas, quibus humanitas, & eruditio paratur, non imbuti, ſed à naturâ ficti videntur, ijs fovendo, & adjuvando. Aſini, rude illud & ſtupidũ animal, oſſa nobis miniſtrant, ex quibus fiſtulæ confi-

conficiuntur maximè ſonoræ: ſic & illi,qui alioqui (ut Papinianus dicebat) aurea mancipia, & ſecundum Diogenem, χρυσόμηλα, id eſt, oves aureo vellere, appellari merebantur, tamen laudandi ſunt,quòd his, qui alias in pulvere ſuo & cœno hæſiſſent, manum præbeant, & illam animorum ſervitutem & tyrannidem, paupertatem dico, ſolvant. Exclamat Comicus in Adelphis, paupertatem eſſe onus miſerum, & valdè grave, uſque adeò, ut etiam nobilem ignobilem faciat. Et verum eſt illud Iuvenalis,

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat*
*Res anguſta domi;*

——— *Minimè cantare ſub antro*
*Pierio, Thyrſumve poteſt contingere ſæva*
*Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque*
*Corpus eget; ſatur eſt cum dicit Horatius Ohe.*
*Quòd ſi Virgilio puer, & tolerabile deſit*
*Hoſpitium, caderent omnes à crinibus Hydri,*
*Surda nihil gemeret grave buccina.*

Scimus quidē laborioſum illum & induſtrium Cleanthem, ex ſummâ paupertate, ad divinam illam Chryſippi Philoſophiam adſpiraſſe;ſed quotocuique tam heroica mentis vis?Plurimi incredibili eruditionis amore flagrant,ſed quia cum ſummis colluctantur difficultatibus, ignea eorū ingenia humi deprimuntur; qui tamen, ſi tandem aliquo favoris Zephyro reſuſcitarentur, non pœnitendos ſe patriæ cives præberent. Horatius cum in ſinu Mæcenatis ſui requieſceret, illa æterni nominis carmina conſcripſit. Hinc Martialis,

*Sint Mæcenates non deerunt Flacce Marones,*
*Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt:*

Hic ſine exemplo Poëta, cum ab Auguſto Cæſare, qui magnitudine rerum ſuarum, terræ totius habitabilis imperium complexus eſt,præmijs & honore afficeretur,diviniſſimo Æneidos, opere, id potiſſimum egit, ut Cæſares & Iulios, à nobiliſſimo Æneæ, Iulique ſanguine ortos,& jam inde ab infinitâ annorum ſerie, univerſo terrarum orbi adminiſtrando, per oracula, ſorteſque antiquiſſimas deſtinatos, oſtenderet;

*At domus Æneæ cunctis dominabitur oris*

*Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.*

Sic Auguſtus, alioqui fortaſſe futurus ignotus, fovendo Muſam Virgilij, æternum nomen ſibi peperit. Alexander Macedo, Achillem hoc uno ſe fœliciorem & fortunatiorem fuiſſe dixit, quòd immortali Homeri carmine celebratus, per totum terrarum orbem innotuiſſet. Etenim Heros bellicoſiſſimus, æternitatem à principe Poëtarum accepit, Alexandri autẽ imperium, ſtatim eo mortuo, in diverſa regna fuit diviſum atque diſtractũ, quæ tamen omnia, Romanis rerum dominis poſteà ceſſêre. Horat. Oda 9. Lib. 4.

*Vixêre fortes ante Agamemnona*
*Multi, ſed omnes illachrymabiles*
*Vrgentur, ignotique longâ*
*Nocte, carent quia Vate ſacro:*
*Paulum ſepultæ diſtat inertiæ*
*Celata Virtus.*

Princi-

# Principijs mali obſtandum.

## *EMBLEMA LXVI.*



*Aſpidis haud ullâ morſus curabitur arte*
*Enſe recidatur pars niſi læſa ſtatim;*
*Haud aliter ſi Seditio teterrima peſtis*
*Ingruat, & ſecum crimina multa trahat,*
*Omnia ſunt tentanda quidem, ſed tollere præſtat*
*Vnum, ne totus grex malè diſpereat.*

### COMMENTARIVS.

PRæcipiunt medicorum filij, morborum principijs ſemper obſtare, ne

——— *Serò medicina paretur*

*Cum mala per longas invaluêre moras.*

Monet hoc Perſius Satyra tertia,

*Helleborum fruſtrà quum jam cutis ægra tumebit*
*Poſcentes videas, venienti occurrito morbo.*

Hoc idem requiritur in morſis ab Aſpide, qui nullo modo ſanantur, niſi partes læſæ confeſtim amputentur. Monetur autem hoc Emblemate Princeps, ſeditioſos & conclamatæ nequitiæ cives, meritâ pœnâ punire, & è Republicâ ſuâ ejicere; Nam

Ovid. ——— *Immedicabile vulnus*
*Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.*

Etenim ille, cui nec natura, nec induſtria rectè vivendi ſtudium conciliare poteſt, è vitâ, ſecundum Platonē, eſt pellendus. Hæc ipſa clementia eſt, non eſſe hîc clementem. Multos ſervamus dum unum tollimus. Et optimum miſericordiæ genus eſt, occidere, non tam ut ipſi pereant, ſed ut alios pereundo deterreant. Melius enim eſt, ut pereat unus, quàm unitas, membrorum potius aliquod, quàm totum corpus intereat. Sed hæc omnia moderatè, & pro delicto. Nec enim prius ad ultima remedia deveniendum eſt, niſi cum depoſitæ ſalutis æger, nullis lenioribus auxilijs juvari poteſt. Quia ut Satyricus inquit,

Apul. de Philoſ.

Lipſ. in Polit.

Cicero Philipp. 9.

*Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.*

Claud.

*Qui fruitur pœnâ ferus eſt, legumque videtur*
*Vindictam præſtare ſibi.*

Pau-

# Paulatim.

## *EMBLEMA LXVII.*



*Qui ſtudet phyalam replere lymphâ*
*Stillando faciat, rebullit omnis,*
*Hanc infundere ſi ſimul labores:*
*Quiſquis ingenium gravare multis,*
*Et comprendere cuncta vult, hebeſcit.*

### COMMENTARIVS.

DIverbium Italis in ore frequens eſt;
*Et tutto abbraccio, & nulla ſtringo:*
Quo innuunt, illos qui varijs rebus ſimul animum occupant
ſive

ſive diſtrahunt,parum aut nihil proficere. Quemadmodũ enim vaſis anguſti orificij, ſi magno cum impetu, & ſimul aquam infundas,eadem aqua ejicitur;ſi ſenſim inſtilles,recipitur,idem de ingenio noſtro eſt, quod oneratur turbâ præceptorum, non inſtruitur, cuique ſatis eſt accenſio velut incitamentum in materia, quo vis inveniendi & cupiditas incitetur. Androgyni ſic utroſque imitantur, ut neutrum ſint, nec mares, nec fœminæ: Ita quidam dum omnia eſſe volunt, à nullis agnoſcuntur. Idcircò aptiſſimè à Polybio guloſis convivarũ comparantur; nam ut illi omnia quæ appoſita ſunt guſtantes, neque in præſentia verè fruuntur ullo ciborum, neque in poſterum digerunt ſatis, aut utiliter ijs nutriuntur; ſic hi delibant varia, ſed ſine alio fructu omnia curſim & properantes tranſmittunt. Ideòque ſatius eſt paucis ſe auctoribus dare, quàm per multos vagum & inſtabilem errare. Certis ingenijs immorari & innutriri oportet,ſi velis aliquid trahere,quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt qui ubique eſt. Non prodeſt cibus nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil tam utile eſt quod in tranſitu proſit.Faſtidientis ſtomachi eſt,multa deguſtare:quæ ubi varia ſunt & diverſa, inquinant,non alunt. Pauca itaque excerpenda ſunt, quæ bene concoquamus, & in ſanguinẽ ac ſuccum redigamus.

Senec. in Epiſt.

In

# In corruptos Iudices.

## *EMBLEMA LXVIII.*



*Aranearum tela magnis rumpitur*
*Muſcis, minores ſtrangulat;*
*Rei potentes judicum ſententiam*
*Odore ducunt munerum;*
*Qui nil habet quo torqueat Leges, miſer*
*In pelle pauper plectitur.*

### COMMENTARIVS.

APophtegma eſt Anacharſidis, quo eluſit ſtudium Solonis in conſcribendis legibus. Dicebat enim Leges aranearum telis adſimiles eſſe, proptereà quòd in illas ſi quid (Plutarch. in vita Solonis.)

quid levius, aut imbecillum incurreret, hæreat, ſin majus aliquid, diſſecet, ac fugiat. Huic ſuccinit illa ſententia, quæ apud Terentium in Phormione eſt,

*Quia non rete Accipitri tenditur, neque Milvio*
*Qui malè faciunt nobis, illis qui nihil faciunt tenditur,*
*Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur.*

Et Iuvenalis,

*Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.*

Diomedes pyrata captus ab Alexandro in hunc modum ſe purgabat, dicens, Ego quia unâ navi pyraticam exerceo, pyrata dicor, tu, quia totis claſſibus, imperator nuncuparis. Marcus Varro apud Nonium;

*Natura humanis omnia ſunt paria,*
*Qui pote, plus urget, piſces ut ſæpè minores*
*Magnus comeſt.*

Ariſt. in Rhet. Hæc autem ſententiarum everſio, ſive conniventia, unde, niſi â pecunia? cui πάντα ὤνια, id eſt, omnia venalia. Afferit Tibullus,

*Auro pulſa fides, auro venalia jura,*
*Aurum lex ſequitur, mox ſine lege pudor.*

Quævis caſtella hæc machina dejiciet, in quæ modò Aſellus auro onuſtus poſſit aſcendere. Ad ſummum

——— *Divina humanaque pulchris*
*Divitijs parent.*

Horat. *Aurum per medios ire ſatellites*
*Et perrumpere amat ſaxa, potentius*
*Ictu fulmineo.*

Verè ille

χρυσοῦ λαλοῦντος πᾶς ἀπραγκτείτω λόγος,
πείθειν γὰρ εἶδε καὶ πέφυκε μὴ λέγων, id eſt,
*Auro loquente ratio quævis irrita eſt,*
*Suadere ſiquidem novit & loquens nihil.*

Plautus in Aulularia. Nempè homines cum ſenis manibus, è genere Gerionaceo, hoc altè impreſſum animis habent

— μηδὲν εἶναι σὺν κέρδει κακὸν, id eſt,

nihil eſſe cum lucro malũ. Et ſic cum Imperatore iſto ſtatuunt,

Iuvenal. *Lucri bonus eſt odor ex re*
*Quâlibet.*

Ergò

Ergò terram mari miſcent, judicia confundunt, legeſque torquent pro arbitrio. Quod ſciens Pericles, cautè ſingulis annis, decem talenta Lacedæmonem mittebat, & præcipuos corrumpebat, ut moram Belli, quandò opus erat, redimeret. Quapropter veriſſimè auri illam ſacram famem (ut Poëta inquit) omnium virtutum vim quandam corruptricem dicas. Atq; hæc de divitibus, in quâlibet cauſâ triumphantibus ſufficiant. Nunc de pauperibus ubique jacentibus dicamus. Hi (ut inquit Comicus) dum nihil habent quod offerant in judicio, non ſolũ non contemnuntur, ſed etiam adverſus veritatem ſæpè opprimuntur. Nullus eis amicus, nullus qui ſuppetias ferat. Quia ut verè Pindarus inquit, Οἴχεται τιμὰ φίλων τατωμένῳ φωτί. In Nemæis Oda 10.

Perit honor amicorum afflicto viro.

De hoc conquerentem auſculta Plautinum Menechmum,

*Vt hoc utimur maximè more morum,*
*Moleſtoque multùm, atque ut quique ſunt*
*Optimi, maximi, morem habent hunc;*
*Clientes ſibi omnes volunt eſſe multos;*
*Bonique an mali ſint, id haud quæritant,*
*Res magis quæritur, quàm clientium*
*Fides quemadmodum clueat.*
*Si eſt pauper, atque haud malus, nequam habetur,*
*Sin dives malus eſt, is cliens frugi habetur.*
*Qui neque leges, neque æquum, neque bonum uſquam*
*Colunt, ſollicitos patronos habent.*
*Datum denegant, quod datum eſt, litium*
*Pleni, rapaces, viri fraudulenti,*
*Qui aut fœnore, aut perjurijs habent rem*
*Partam. Mens eſt in querelis,*
*Iuris ubi dicitur dies, ſimul*
*Patronis dicitur. &c.*

Hi aut lucro, aut favore, ad gratiam deliberationes, & conſilia flectunt, jacet pauper, & dum non hábet in ære, plectitur in pelle. At quàm optandum foret, ut ij qui Reipub. præſunt, Legum ſimiles eſſent, quæ ad puniendum non lucro, favore, aut odio, ſed æquitate ducuntur? Vbi enim hæc officiunt, haud facile animus verum pervidet. Præcipuè ubi avaritia dominatur;

Livius lib. 22. Privatæ enim res ſemper offecêre, officientque publicis conſilijs; Et peſſimum veri affectus, & judicij venenum, ſua cuique utilitas. Prudenter olim Areopagitæ nocturno tempore judicabant, ut & rem benè excuterent, & nullius favore, aut gratiâ flecterentur. Cleon, poſtquam Reipub. adminiſtrationem in ſe ſuſcipere deſtinaſſet, teſtatus eſt, ſe jam omnium amicitiarũ vincula velle diſſolvere. Olim etiam qui corruptus pecuniâ, malè judicabat, amiſſâ dignitate, vel cingulo, efficiebatur infamis, ut eſt in L. penult. Cod. de pœnis jud. qui malè judic. Iuſtinianus etiã Lib. 4. Inſtit. Tit. XVII. inquit; Iudicis officium eſſe, non aliter judicare, quàm legibus, conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt. Ac veteres quidem illi, pauciſſimis verbis judicis officium concludebant, cum dicerent; Legem eſſe mutum judicem, judicem autem Legem loquentem. A bono enim judice ita prorſus omnia judicari oportet, ut lex ipſa, ſi loqui poſſet, judicaret; atque ita legem & judicem inter ſe conſpirare, ut ſit lex quaſi anima judicis, & judex quaſi vox legis: Et quemadmodum Ariſtoteles ait, Legem eſſe mentem cupiditatis expertem, ita oportet judices, omni cupiditate ſpoliatos, mente tantum ac ratione, in diſceptandis controverſijs uti. Sed hæc optare licet, ſperare vix licet.

Tacit. 1. Hiſt.

Plutarch.

Civilis

# Civilis diſcordia hoſtis victoria.

## *EMBLEMA LXIX.*



*Præda duos inter fuit olim ſplendida Sturnos,*
*Hanc erat auxilio nactus uterque ſuo,*
*Dividere hanc tentant, oritur diſcordia præceps,*
*Quæ ſocios trahit ad bella gerenda animos;*
*Milvius hæc ſpectans trepidantibus advolat alis,*
*Cumque ſuâ prædâ victor utrumque rapit:*
*Scilicet eſt hoſti facilis victoria, quandò*
*Diſcordes populi civica bella movent.*

## COMMENTARIVS.

IN hoc Emblemate oculis ſubjicitur, quàm noxia, quàmque peſtifera res ſit, civilis diſcordia, quæ niſi in herbâ opprimatur, neceſſario aut interitus conſequitur, aut mutatio rerum: Hæc enim eſt quæ omnes faciles reddit occupantibus, & meliorum incurioſos. Omnia denique bellis civilibus miſera ſunt, ſed nihil miſerius quàm ipſa victoria. Proinde benè Homerus,

*Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος*
*Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος*, id eſt,
*Ille nefarius, & ſine gente tribuque mihi eſto,*
*Qui civile cupit ferum & execrabile bellum;*

Verè execrabile, quia nihil hoſtibus præſtare majus Fortuna Tacitus. poteſt, quàm adverſariorum diſcordiam; atque inter eos diſcordiarum ſerere cauſas, ſapientis eſt ducis. Nulla enim quamvis minima natio, poteſt ab adverſarijs ſuis perdeleri, niſi pro- Vegetius. prijs ſimultatibus ſeſe ipſa conſumpſerit. Quia, ut Salluſtius inquit; Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Voluit ſcilicet hoc, iſtud Apophtegma Scilori, qui quum, relictis maribus filijs octoginta, diem eſſet obiturus, ſagittarum faſcem cuique obtendens, ut illum confringeret jubebat, id autem ſingulis ſe poſſe negantibus, ipſe ſingulatim eductas facillimè confregit: Docens illos ubi unà eſſe perſeverarent, firmos ac potentes fore, imbecillos verò, ſi ſeparentur ac diſſideant. Sciebat hoc etiam Micipſa moriens, qui ita apud Salluſtium, ad filios loquitur; Regnum vobis trado firmum, ſi boni eritis, ſi mali, imbecillum; certa nimirum adverſus conſentientes nec regem quemquam ſatis validum, nec tyrannũ fore. Lepidè olim, Pytho Rhetor Byzantius, quum eſſet ſuprà modum obeſo corpore, prodiſſetque in concionem ſuaſurus concordiam Byzantijs, ſtatim populi riſus obortus eſt ex ipſo corporis habitu: At ille, ridetis inquit Cives? cum tale corpus habeam, uxorem habeo multò me obeſiorem, & tamen concordes quodvis grabatum capit ambos, diſcordes ne tota quidem domus. Lapides quidam inſulæ Cycladiacæ (teſte Plinio) integri ſupernatant, fracti concidunt in fundum: ſic omne quod eſt, tam diu ma- Boëtius. net atque ſubſiſtit, quàm eſt unum, ſed interit atque ſolvitur, quandò

quandò unum eſſe deſijt. Ego ſic exiſtimo, (inquit Salluſtius de Repub. ſuâ) quoniam orta omnia intereunt, quâ tempeſtate Vrbi Romanæ fatum excidij adventarit, cives cum civibus manus conſerturos, ita defeſſos atque exſangues regi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queant hoc imperium. Illud autem poſteà evenit; Romani enim crebris victorijs, hoſte ſuperato inquieti, & bellorum amantes, inter ſeſe bellum gerere, & ab hoſte in ſua viſcera ferrum convertere cœperunt; ita, dum militiæ arma ceſſant, domi turbæ naſcuntur, & ubi publicus hoſtis deeſt, cives cum civibus, duces cum ducibus, domeſtica jurgia, diſcordias ac ſimultates exercent; ut ſtante Carthagine, imperij æmulâ, Romani fœlices, deletâ miſeri fuerint, & lorica illis fœlicior quàm toga, campus ſecurior quàm thalamus, tuba quàm tibia, Sol quàm umbra exſtiterit optabilior. Huc alluſit Vates ille;

*Nunc patimur longæ pacis mala, ſævior hoſtis*
*Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem.*

Statim enim non gradu, ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum, vetus diſciplina deſerta, nova inducta, in ſomnum à vigilijs, ab armis ad voluptates, à negotijs ad otium converſa civitas. Quod ne & nobis eveniat θεῶν ἐν γούνασι κεῖται; Præſertim otioſo hocce tempore, quod plerumque civilium furorum fons & origo. Prætereà Vell. Paterc.

*In ſe magna ruunt, lætis hunc Numina rebus* Lucanus.
*Creſcendi poſuêre modum.*

Sed Deus, in cujus manu omnium corda ſunt, uti voveo, avertet, dabitque ut ancipitis Fortuna temporis, maturâ virtute corrigatur, & divulſi prius animi paulatim coaleſcant. Refert Plinius Serpenti & Vulpi naturales inimicitias eſſe, & ob eas quotidie congredi, aſt ubi Aquila communis hoſtis adventat, inimicitijs depoſitis conjunctâ vi reſiſtunt: Horum animalium exemplo ſimultates & odia inter finitimos deponantur, ac

——— *Coeant in fœdera dextræ*
*Quà licet, aſt armis concurrant arma cavete;*

ne hoſtis inter ſeſe digladiantes, ex inſidijs opprimat. Etenim cui bono hæc civilis diſcordia, niſi ut teſta teſtæ (ut eſt in Adagio) collidatur? Mutua defenſio tutiſſima eſt.

In

# In ingratos.

## *EMBLEMA LXX.*



*Devorat excuſſas glandes, nec ſuſpicit unde*
*Hæ ſibi proveniant pigra propago Suum:*
*Percipiunt homines ſummorum munera Divûm,*
*Vix tamen his grates ore decente canunt.*

## COMMENTARIVS.

QVanta ſit Dei munificentia in humanum genus, ex eo potiſſimùm apparet, quòd, quæcunque mundi ambitus complectitur, homini, tanquam Regi, ſubjecerit regenda, utenda, & fruenda; id ſolummodò ἀντιδώρȣ exſpectans, ut quemadmodum nobis omnia parent, ſic illi tanquam ſuperiori identidẽ pareamus, meritaſque pro tot ac tantis benefi-

beneficijs gratias agamus. Attamen quàm recalcitroſi & ingrati adverſus tam munificum patrem filij ſumus, dum divinis donis, tanquã noſtro jure nobis debitis, ita abutimur? immemores à quo auctore nobis illa proficiſcantur. Non ſecus ac Sues, quæ excuſſas è quercubus glandes quidem devorant, ſed ne quidem ad illam arborem, fructus illius procreatricem, ſuſpiciunt. Dicebat olim Themiſtocles ſe platanis eſſe ſimilem, ſub quarum umbram accurrunt homines afflicti tempeſtate, & eaſdem, ſimul ac redijt ſerenitas, amputant, vellunt, convitijſque petunt. Idem de Deo quis appoſitè dicat: Etenim ſi qua gravis neceſſitas presſerit, tunc Dei recordamur, ſi belli terror infremuerit, ſi morborum peſtifera vis incubuerit, ſi alimenta frugibus longa ſiccitas denegarit, ſi tempeſtas, ſi grando ingruat, ad Deum confugitur, à Deo petitur auxilium, Si quis in mari vento ſæviente jactatur, hunc invocat, ſi ad extremam mendicandi neceſſitatem deductus, victum precibus expoſcit, Deum ſolum obteſtatur, per ejus unicum atque divinum nomen hominum ſibi miſericordiam quærit. Nunquam denique homines Dei meminerunt, niſi dum in malis ſunt. Poſtquam metus deſeruit, & pericula receſſerunt, Deo, quem ante in ſuâ neceſſitate imploraverant, ne verbo quidem gratias agunt. Ita ut verum ſit illud Comici,

Lact. lib. 2. Divin. Inſt.

*μετὰ τὴν δόσιν τάχιστα γηράσκει χάρις*, id eſt,

poſt dationem celerrimè ſeneſcit gratia. Cum tamen bruta, & omnis rationis expertia animalia aliud nos doceant. Canis hero ſuo offam ei objicienti, quàm adblanditur? quàm amico latratu, motuq; caudæ ſe gratum exhibet? Aves longo uſu edoctæ avolant, & ad herum ſuum revolant, agnoſcunt eum, nec ſe à gremio illius movent, ſed circumſilientes modò huc, modò illuc, ad ſolum dominum uſque pipitant. Ferociſſima denique animalium uſu cicuria, benemerentibus aliquod grati animi *τεκμήριον* deferunt. Solus autem homo cui Ratio infuſa, adverſus Deum, & proximum ingratus exiſtit. Quod animadvertentes Legiſlatores, homines veram, non ſimulatam Philoſophiam profitentes, jura condiderunt, quibus ad *ἀντίδωρα* teneremur. Patet hoc in L. Si remunerandi. ff. Mandati. L. Sed et ſi. ff. de Petit. hæredit. Et ſecundum Pindarum;

*θεῶν δ' ἐφετμαῖσιν,*

*Ιξίονα φαντὶ ταῦτα*
*βροτοῖς λέγειν, ἐν*
*πτερόεντι τροχῷ*
*ταυτᾶ κυλινδόμενον,*
*τον ἐυεργέταν ἀγαναῖς*
*ἀμοιβαῖς*
*ἐπιχομένους τίνεσθαι.* id eſt,

Deorum mandatis Ixionem ajunt, hæc mortalibus dicere, dum in altâ rotâ circumquàque volutatur; Oportere mortales benefactorem placidis remunerationibus excipientes, debitam gratiam ei perſolvere. Statuarij etiam veteres tres Gratias exprimere ſoliti ſunt; Sorores, manibus implexis, ridentes, juvenes, Virgines, ſolutâ ac pellucidâ veſte: Quod interpretantur, unam eſſe, quæ det beneficium, alteram quæ accipiat, tertiam quæ reddat. Conſertis manibus finguntur, ob hoc, quia ordo beneficij per manus tranſeuntis, nihilominus ad dantem revertitur, & totius ſpeciem perdit, ſi uſquam interruptus eſt: pulcherrimus ſi cohæſit, & vices ſervavit. Ideo ridentes; quia promerentium vultus hilares ſunt. Iuvenes, quia non debet beneficiorũ memoria ſeneſcere. Virgines, quia incorrupta ſunt benefacta, & ſincera, & omnibus ſancta, in quibus nihil eſſe alligati decet, nec aſtricti. Solutis itaque tunicis utuntur: pellucidis autem, quia beneficia conſpici volunt. Hæc ille. Epicuri ſententiam mantiſſæ loco addo; Non modò pulchrius eſt beneficio afficere, quàm affici, verum etiam jucundius; Nam nulla res perinde parit gaudium, ut beneficentia.

Sen. de Benef. lib. 1. cap. 3.

Peſtis

# Peſtis regni Rex ſine prudentiâ.

*EMBLEMA LXXI.*



*Privatus charo Polyphemus lumine, nullo*
*Conſilio errantes jactat ubique manus:*
*Haud aliter Reges, ratio quos nulla gubernat,*
*Omnia perverſo turbine ſemper agunt.*

## COMMENTARIVS.

CVm omnibus magiſtratum obeuntibus, & Reipub. inſervientibus neceſſaria ſit prudentia, tum in nullo magis, quàm in Rege requiritur, utpote quo neminem plura, vel meliora ſcire oportet, quia ejus doctrina omnibus ſubditis prodeſſe debet. Qualis Homericus ille Cyclops amiſſo oculo, talis rex cui abeſt lumen illud animi. Nemo navim

dirigat abſque ferro, quod affricuit Siderites: ſic nemo regnum Cicero. ſine mente, quam afflavit illa Diva Prudentia. Non viribus corporis, ſed animi, res magnæ geruntur. Syneſius Libro de regno adminiſtrando, ad Arcadium vel Theodoſium juniorem ſcripto, negat in viribus ſolis poſitam fœlicitatem Principis, ſed abſolutam eam prædicat, quæ potentiam prudentiæ conſociat, quæ res conjunctæ robur inexpugnabile conciliant, disjunctæ invalidum & inutile. Horat.

*Vis conſilij expers mole ruit ſuâ;*

Illud eſt vinculum per quod Reſpub. cohæret, illud ſpiritus ille vitalis, quem tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperij ſubtrahatur. Porrò quanquam eſſe poſſit

Eurip. σοφὸς τύραννος τῶν σοφῶν συνουσίᾳ,

id eſt, Rex ſapiens ſapientum commercio, & aſſumere in partem curarum alios; tamen miſerum tale regnum judico, quod alienâ mente adminiſtratur. Quia ſæpiſſimè videmus eos eſſe Regum animos, ut quanquam iniqui, tamen flecti nolint. Dicet hoc Medea;

Seneca. *Difficile quàm ſit animum ab irâ flectere*
*Iam concitatum, quamque regale hoc putet,*
*Sceptris ſuperbas quiſquis admovit manus,*
*Quà cepit ire, regiâ didici meâ.*

Et in Hyppolyto,

*Nec me fugit, quàm durus & veri inſolens*
*Ad recta flecti regius nolit tumor.*

Hinc illa regni confuſio, & peſtis, quæ ideò gravior, ut quæ à capite (ut medicorum filij de morbis loquuntur) diffunditur. Dum Palinurus dormit, in mare præcipitatur, ipſaque navis, ſine rectore, à fluctibus propemodum abſorbetur: Sic in hâc hominum navi innumeræ animæ in occaſum trahuntur, niſi publicus ille Palinurus evigilet. Benè itaque cum Xenophonte precabimur, ut ſint πολλοὶ βασιλέως ὀφθαλμοὶ, καὶ πολλὰ ὦτα, id eſt, multi regis oculi & multæ aures.

Cura

# Cura animi imprimis gerenda.

## EMBLEMA LXXII.



*En quanto ſtudio rudes catellos*
*Vrſa perpoliat, decentiorem*
*Donec imprimat, ingeratque formam:*
*Mortales meritò rubere diſcant,*
*Qui, neglecto Animi nitore pulchri*
*In natis, modò ſunt luti parentes.*

### COMMENTARIVS.

ORus Apollo in ſacris ſuis Sculpturis refert, Ægyptios ſi quandò hominem initio quidem informem natum, ſed poſteà formam accipientem, innuere vellent, urſam

 prægnan-

prægnantem depingere ſolitos fuiſſe. Hæc namque ſanguinem primum condenſatum, & concretum parit, hunc poſteà proprijs fovens femoribus efformat, linguâque lambens perficit. Hinc Poëtarum princeps Virgilius dicere ſolebat, ſe Vrſino more fingere carmen, cum (ut referunt ij qui ejus vitam conſcripſerunt) plurimos inconditos verſus mane effunderet, eoſque politos, ad tres quatuorve redigeret. Cæterum ut ad propoſitum revertamur, ab hâc noſtrâ Vrſâ quantum ſæpè homines degenerant? dum præſtantiſſimam illam liberorum ſuorum partem, animum dico, ſecuri incultam relinquunt. Quos homines meritò eximius ille Theologus Nazianzenus, Luti parentes vocat. Quemadmodum enim (ut eſt in Adagio) lutum non fit teſta, niſi tundatur, & rude lignum non eſt ſimulachrum, niſi ei forma inducatur: ſic homo, non eſt homo, niſi diſciplinis formetur, & ratio in eo promoveatur. Horat.

*Doctrina ſed vim promovet inſitam.*

Vnumquodque animal fœtus ſuos non ſolum gignit, atque educat, verum etiam format ad naturalem ſuam functionem. Solus homo hâc in parte claudicat. Luxui, iræ, ambitioni, temulentiæ aſſueſcere videt natos, & patitur; inſtillat ijs verba vix Alexandrinis, ut ille ait, ferenda delitijs, eaque oſculo excipit. Intereà innocentiſſima proles parentum culpâ labitur, & peccat: Parentum dico, qui nolunt liberos ſuos ſeverâ lege proficere, qui ſicut omnia, ſpes quoque ſuas ambitione donant; deinde cum ad vota properant, nihil præter malitiam, atque improbitatem inveniunt. Diogenes cum conſpiceret aliquando puerum ſe indecorè gerentem, pædagogum illius baculo percuſſit, dicens, Cur ſic inſtituis? Quàm multi divites evigilant, ut habeant egregium canem, ut generoſum equum, multos ſervos, cæterum ut probum & doctũ filijs ſuis pædagogum, vix unus, & alter curat. Olim quidam cum Ariſtippo agebat, ut filium ſuum ſuſciperet erudiendum, cumque Philoſophus pro mercede quingentas drachmas poſceret, alter deterritus magnitudine pretij, inquit, emerem mancipium ijs nummis. At hîc inquit Ariſtippus, habebis duo. Sentiens eandem pecuniam paraturam ei, & Philoſophum utilem, & filium obſequentem. At quotuſquiſque hominum hoc capit? Agro excolendo, domui exornandæ omnes Fortunas impendunt, in iſtis autẽ omnibus,

nihil

nihil eſt præterquam ipſe Dominus, & ſuus hæres pudendum, & incultum: Hanc hominum inſaniam egregiè olim Diogenes Cynicus perſtrinxit. Cum enim aliquandò ab aliquo eſſet invitatus ad prandium, ſcreans, locum quæſivit in quem ſputum ejiceret, cum autem omnia ſplendere, hoſpitem verò ſolum ſordere animadverteret, in ipſum hoſpitem ejecit, ipſe indignabundus rogavit, quænam iſta eſſet impudentia, ſputo conſpurcare hoſpitem? Reponit Diogenes, omnibus id moris eſſe, in locum viliſſimum ejicere phlegmata, ſe verò nullum inveniſſe viliorem, quàm ipſum hoſpitem, itaque in illum ejeciſſe. Intelligebat ſcilicet Philoſophus, æquè homines ſpectari debere, ut equos mercamur. Neque enim in emendis equis phaleras conſideramus, aut baltei polimina inſpicimus, ſed iſtis omnibus exuvijs remotis, equum ipſum contemplamur, ut ſit ad ſpeciem honeſtus, ad curſum vegetus, & ad vecturam validus, an ei ſit Apul. de Deo Socrat.

*Argutum caput, & brevis alvus, obeſaque terga* Virg.
*Luxurietque toris animoſum pectus:*

Sic cum volueris veram hominis æſtimationem videre, & ſcire qualis ſit, nudum inſpice, deponat patrimonium, & alia Fortunæ mendacia. Corpus ipſum exuat, animum intuere, qualis quantuſque ſit, ſuo, an alieno bono magnus, an iners & rudis, an verò à diſciplinis liberalibus & inſtitutione formatus. Socrates cum Gorgiam percunctaretur an Perſarum regem fœlicem eſſe putaret? Neſcio inquit quantum virtutis habeat & diſciplinæ. Ab his animus lumen accipit, non ſecus ac viſus à circumfuſo aëre. Hinc interrogatus quidam quid ſibi conferret eruditio? Reſpondit; ne in theatro lapis lapidi inſideam. Et certè ſic eſt ut Comicus ait, Sen. Ep. 29.

ὁ γραμμάτων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων,

id eſt, litterarum expers non inſpicit aſpiciens;
contrà Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα,
id eſt, qui litteras didicêre, bis tanto vident. Itaque

*Petite hinc juveneſque ſeneſque*
*Finem animo certum miſeriſque viatica canis.*

# Inſcitia ſemper arrogans.

## *EMBLEMA LXXIII.*



*Vt ſpicæ vacuæ levant cacumen,*
*Et plenæ reprimunt, ſolumque ſpectant:*
*Sic homo vacuus ſcientiarum,*
*Et cui nihil eſt probæ monetæ*
*Præ ſe deſpicit eruditiores;*
*At contrà Sapiens, ſuoque ſeſe*
*Explorans modulo, videbit uſque*
*Quàm ſit teſta ſuæ impolita mentis.*

COM-

## COMMENTARIVS.

MEnedemus Athenienſibus ſtudioſis dicere ſolebat; Plerosque eorum, Sapientes navigare Athenas, deinde fieri Philoſophos, id eſt Sapientiæ ſtudioſos, poſtremò idiotas: innuere volens, quò quis plus in verâ Sapientiâ profecerit, hòc minus ſuperbire, magiſque videre quantum ſibi deſit. Quod quàm verum ſit probavit Socrates, qui dicebat, ſe nihil ſcire, præter hoc, quòd nihil ſciret, reliquos verò ne hoc quidem ſcire. Eoque de ſe teſtimonio oraculo Apollinis judicatus fuit ſapientiſſimus. Et quidem meritò, quia in omnibus hæc eſt ſola perfectio, imperfectionis ſuæ indubitata cognitio. Longè aliter eſt in iſtis ſciolis noſtris, qui magnificis titulis, qui ſapientibus pileis, qui ſplendidis cingulis, qui gemmatis annulis, bis terque magiſtri noſtri, abſolutam profitentur ſcientiam, & magiſtralibus ſuis definitionibus, concluſionibus, & propoſitionibus perſtrepunt & inſaniunt; ita ut aptiſſimè in eos quadret quod vulgò dicitur, Ἀμαθία θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, id eſt, Inſcitia confidentiam, prudentia verò cunctationem parit. Idem ait Quintilianus, fortius ſcilicet eos dicere, qui nihil habent artis: cum interim cordatus orator, ac periculum intelligens, initio trepidet; illi cum nondum didicerint, quid ſit ſcire, nullius rei ſibi non arrogant ſcientiam. Canis timidus latrat vehementius, quàm mordet. Et altiſſima quæque flumina minimo ſono labuntur. Homerus Menelaum hoc nomine laudat, quòd ſcilicet eſſet breviloquus quidem, ſed tamen argutus. Et Epaminondas à Pindaro commendatur; quòd haud facilè alter inveniretur qui plura ſciret, & pauciora loqueretur. Habent nimirum hoc Sapientes illi, quibus cor modeſtè ſitum eſt, Sileni Alcibiadis videri volunt. Semper ſuſpirant cum vident, quantum ſit quod neſciant. Eſt enim (ſi dicere licet) avara, aut certè avaritiæ, aut hydropi ſimilis ſapientia, jugiter ſitit, quotidie inardeſcit, quò plus quæſierit, eò ſibi pauperior videtur, & plus appetit. Contrà iſti noſtri φιλαύτοι καὶ δοξόσοφοι, quid non ſibi perſuadent? ſimul ac ſapere cœperunt, jam ſapiunt. Cum beatus ſit (ſecundum Platonem) cui etiam in ſenectute ſapere contingat, veraſque opiniones aſſequi. Vix limen libarunt arcanæ hujus Sapientiæ domus, & jam ſe penetraſſe putant; Et hæc cauſa eſt

Plutarch. de profect. virtut.

cur nunquam ad eam perveniant;ſiquidem nihil tam profectui adverſarium, quàm profectionis opinio. Vidit hoc Sapientiæ oculus, cum diceret multos ad Sapientiam perventuros fuiſſe, niſi ſe jam perveniſſe putaſſent. Stultus viator ſit, qui id viæ emetiri conetur, quod jam ſe emenſum putat. Itaque hoc tanquam ex tripode habe; Credere ſe Sapientem, primus ad ſtultitiam gradus eſt. Humilitate, humilitate eſt opus, quæ fundamentum eſt veræ ſapientiæ, quæ non quid actum ſit, ſed quid agendum, non quid adſit, ſed quid deſit, attendat, quæ non de quæſito glorietur, ſed de quærendo ſollicita ſit. Obſtat ſuperbia ingenio, non ſecus ac tumor oculorum viſui. Non poſſum non hîc pulcherrimum Gregorij locum addere: Qui humilitatem, quæ eſt mater virtutum, neſciunt, uſum ſui laboris perdunt. Et ſi quæ bona ſunt, quæ videntur, quia ſurgentis fabricæ robuſta celſitudo non figitur, utpote quæ nequaquam in petrâ ſolidatur, corruunt. Soli igitur ruinæ creſcit, quod ædificant, quia ante molem fabricæ, Humilitatis fundamenta non procurant. Faſtus itaque & elati ſpiritus, ex adoleſcentium animis excutiendi ſunt, non ſecus ac aër ex utribus, ſi quid utile eis velis infundere.

Lib. 18. Moralium.

Ardua

# Ardua quæ pulchra.

## EMBLEMA LXXIV.



*Haud levis aſcenſu Palma eſt, ſed vertice fructus*
*Præmia perpeſſi grata laboris habet:*
*Ardua Virtutis prima eſt via, qui pede forti*
*Pergit, is in blando ſuſcipitur gremio.*

### COMMENTARIVS.

PAlma arbor eſt ferens dulciſſimos fructus, quos Dactylos vocamus, hos, quia admodum cultellato cortice eſt, difficile eſt contingere. Comparatur huic Virtus, ad quam Plinius lib. 13. cap. 4. & lib. 16. cap. 42. Gell. lib. 3. cap. 6.

*Ardua ſaxoſo perducit ſemita clivo,*
*Aſpera principio (neque enim mihi fallere fas eſt)*
*Proſequitur labor, adnitendum intrare volenti.* Silius Italicus lib. 15.

 Sed

Sed ——— *Mox celſus ab alto*
*Infrà te cernes hominum genus.*

Exſtat apud Platonem, in Hippia majore, in calce Dialogi, proverbium elegans; χαλεπὰ τὰ καλά, id eſt, Difficilia quæ pulchria. Cui dicto omnes humani actus fidem adſtruunt. Quàm amarè ſerit agricola quod prædulciter metit? Quanto ſudore miles, quàm immenſo ſanguine quernam illam coronam, cum militari fremitu, & inconditâ cantiunculâ adipiſcitur? Quanto vitæ diſcrimine Mercator, & nauta pontũ trajiciunt, merces exoticas petituri? Quàm indefeſſo ac planè adamantino ſudore dulciſſimum illud Scire conſequimur? Teſtis Demoſthenes, quo nemo unquam laborioſiùs, nemo per plures obluctantis naturæ difficultates in altum reptavit, qui plus olei quàm vini conſumpſiſſe dicitur, & omnes opifices antelucanâ viciſſe induſtriâ. Hic tandem in dulciſſimam Muſarum, excelſo colle habitantium, familiaritatem receptus, id conſecutus eſt, ut Oratorum princeps diceretur, ut Cæſaribus, Regibus, & Imperatoribus charus & individuus comes eſſet: Atque hæc omnia Labore & Induſtriâ, ſine quibus nulla in hoc mundo gloria. Rebus enim maximis difficultatem propoſuit Natura. Laudis Herculeæ fundamentum Labor fuit. Nullâ re magis Ulyſſes quàm Labore cognoſcitur, quantâlibet prudentiâ fingatur, ſi otioſus fuiſſet, latuiſſet. Labor Romuleos Duces, Scipiadas, Camillum, Fabios, Curios, Fabritios, Metellos, Pompeium, Iulium Cæſarem, aliaque periculis nota nomina, in excelſum illud Famæ theatrum extulit,

Plutarchus in Demoſt.

Lucan. lib. 7 *Et mox æternos animas collegit in orbes.*

Latuiſſent hi, niſi triſtẽ materiam ſuis virtutibus impleviſſent.

Ovid. lib. 4. Triſt. *Hectora quis noſſet fœlix ſi Troia fuiſſet?*
*Publica Virtutis per mala facta via eſt.*

Devoranda hæc ſunt ijs qui ad Honorem adſpirant, alioqui quod in Adagio eſt μήτε μέλι, μήτε μέλισσας, id eſt, neque mel neque apes. Verè Comicus,

*Fortiter malum qui patitur, poſt potitur bonum.*

Quid aliud Homerum innuiſſe putabimus per herbam Moly, cui radicem nigram, florem lacteum attribuit, quàm radicis nigræ ſymbolo, Laboris moleſtiam ſignificare, quâ pervenitur ad florem lacteum, id eſt, ad floridam illam animi tranquillitatem,

tem, Virtutis abſolutæ jucundiſſimum præmium? At contrà compendiaria res eſt improbitas, fitq; neſcio quâ naturæ corruptione, ut, quæ turpia ſunt, vel αὐτοδίδακτοι protinus arripiamus.

Virg. *Facilis deſcenſus Averni,*
*Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,*
*Hoc opus, hic labor eſt. Pauci quos æquus amavit*
*Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera Virtus.*

Omne tempus (inquit Seneca) Clodios, non omne Catones fert. Ad deteriora faciles ſumus, quia nec dux poteſt, nec comes deeſſe: & res etiam ipſa, ſine duce ſine comite procedit, non pronum iter tantum ad vitia eſt, ſed præceps. Egregias quaſdam antithetes ponit Virtutis, & Voluptatis, idem ille Philoſophus: Altum quiddam eſt virtus, excelſum, & regale, invictum & infatigabile. Voluptas quiddam humile, ſervile, imbecillum, caducum, cujus ſtatio, & domicilium fornices & popinæ ſunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curiâ, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus. Voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem, circà balnea & ſudatoria, mollem, enervem, mero atque unguento madentem. Hæ verò duæ Divæ ſic comptæ, olim Herculi, dum in fluxu & lubrico ætatis eſſet, apparuerunt, ſed laborioſam Virtutis viam elegit, per quam poſteà in cœlum aſcendit. Cum contrà Hannibalem Voluptatibus ſeſe devoventem, vitia hyberna ſolverint, & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum, exterminaverint. Hâc ergò aureâ gemmâ hæc conſigno; Qui à Voluptate incipiunt, in laborem & dolorem deſinunt, è contrario qui ab amaro principio auſpicantur, dulci fine clauduntur. Quoniam, ut Gellius ait, ſi quid per laborem rectè feceris, labor citò perit, benefactum autem nunquam recedit, ſed ſi quid per voluptatem nequiter egeris, voluptas abit, nequiter factum perpetuò manet.

Epiſt. 97.

Vide Sil. Ital. & Xenophontē.

FINIS.

# Florentij Schoonhovij
# I. C.
# Poëmata aliquot.

# Ad Ampliſsimum Conſultiſsimumque Virum

## D. ÆMIL. ROSENDALIVM.

### ODE.

O Hagienſis maxime Curiæ
Senator, ingens præſidium reis,
Quô Gouda ſe jactans alumnô
Præterito decus æquat ævo,
Quæ cura, quænam laudis adorea
Plenis honorum muneribus tuum
Venuſtet, æternetq́; nomen
Per titulos memoreſq́; faſtos?
Fallor: virorum nam Roſedalij
Frequens in ore eſt nomen amabile,
Eritq́;, dum ſuus diſertis
Iuſtus honos fuerit Camœnis.
Præclara virtus nil habet invium,
Perrumpit acris per remoras ſuas,
Nulliq́; non vivo, aut perempto
Præmia reſtituit laborum.
Tu, cum juventus ver ageret ſuum,
Te munijſti vi ſapientiæ,
Sciens nihil nos poſſidere,
Præter opes animi, perenne.
Cum fratre primus ſemper in arduos
Auſus volabas, eſſe putans pigri,
Non eminere curſitantem
In ſtadio ſtudij decoro.
Nempè illa magni pectoris indoles
Suæ recordans ſemper originis,
Inſueta tentat, èq́; duris
Ad decus egregium reſultat,
At nunc ſacrato Concilio Patrum
Fulges ſupremis auctus honoribus,

*Hic te ſtupeſcunt, dum, diſerto*
*Ore tonans, ſacra jura reddis.*
*Vt nauta prenſus in medio mari,*
*Tumultuoſo Pleiadûm chorô*
*Scindente nubes, auſpicatos*
*Tyndaridûm ſpeculatur ortus:*
*Sic te miſellus ſuſpicit innocens,*
*Periclitantem præſidio tuo*
*Cauſam tuentem, mox triumphum*
*Lætus agit poſito timore.*
*Amore juſti hæc perficis integer,*
*Nam ſpernis altô dona clientium*
*Vultu, ſatiſq; magna merces*
*Eſt animo, meruiſſe rectè.*
*Ergò vir ingens, Te, decus o meum,*
*Diu reſervet publica fauſtitas,*
*Te dico, cujus vita prodeſt*
*Omnibus, interitus noceret.*

## Ad eundem, cum Vxorem ſuam, omni Virtutum genere ornatiſſimam Matronam, defunctam lugeret.

*PRæſtans Senator, nate in exemplum omnibus,*
*Qui conſulendo cætui mortalium,*
*Perenniclaram demerentur gloriam;*
*Quamquam dolendi cauſa ſit juſtiſſima,*
*Adempta terris illa portio tui*
*Marita cordis, cujus annorum tibi*
*Series adaucta adauxerat canam fidem;*
*Tamen induendus diſſimillimus tuo eſt*
*Vultus dolori, lachrymæ ſub pectore*
*Tibi devorandæ. Suadet hoc cunctis patens*
*Famæ theatrum, in quo locatus, maximam*
*Debes tueri mente perſonam tua.*
*Plebeia corda, queis abeſt capax ſui*

*Menſura*

*Menſura, luctus neſciunt modum ſui,*
*Illiſque longus ponit ærumnas dies,*
*Ratione quas determinare te decet.*
*Mortalitatis Vxor excepit ſuæ*
*Legem ſtatutam, quam movere non valent*
*Curæ, laboſve, huic purpurata natio*
*Ioveſque terræ, pauperesque ſubjacent.*
*Natura prudens, quod graviſſimum putat*
*Humana turba, fecit omnibus mori*
*Commune, quò ſeveritatem æqualitas*
*Fati levaret, omne poſcit id ſibi,*
*Quodcunque tellus fert in auras luminis.*
*A ventre matris tale nos fatum manet,*
*Hoc cogitans Matrona, quæ prudentiam*
*Plus quàm virilem præferebat, indies*
*Se præparabat ſemitæ optatiſſimæ,*
*Quam prævio trivêre majores gradu:*
*Iam jamque mortis lineam videns ſibi*
*Senſim admoveri, ſarcinis lectis ſuis*
*Fatalis horæ, læta, vultu interrito*
*Punctum precata eſt, quò ſolutus ſpiritus*
*A mixtione terrei corpuſculi,*
*Adſcriberetur Cœlitum dulci choro.*
*O ter beatos, qui fide, innocentiâ*
*Vitæ peractæ, demererunt id ſibi,*
*Vt inter aſtra Cœlites micent novi.*
*Tunc noſtra mens, quod gaudeat, demum tenet,*
*Quandò exſoluta, ſeparata, libera*
*Tenebricoſi corporis cuſtodiâ,*
*Cœleſte toto fulgur admittit ſinu.*
*Hoc chara Conjunx experitur, hoc videt,*
*Poſtquam caducis ſæculi & mortalium*
*Rebus Valere dixit, atque Plaudere.*
*Iam turbidis ſubducta tempeſtatibus,*
*Humana ridet, in Salutis ſtans vado,*
*Et, (ſiquid umbræ mentis eſt) cunctos rogat,*
*Ne turbet ullus hanc quietem queſtibus.*

# Ad Ampliſſimum Virum Gerardum Verlanium.

*Maxime Verlani, patriæ pater, atque Senatus*
*Immortale decus; ſi quem dixiſſe beatum*
*Ante obitum licet, & frigentis juſta ſepulchri;*
*Te merito dicemus eum: Nam pondera rerum*
*Quas humeris fulcis, veluti fortiſſimus Altas*
*Ætheris ardentis ſtellantem ſuſtinet axem;*
*Deponens, urbemq́ tuam, ſtrepituſq́ peroſus,*
*Confugis in gremium tibi te reddentis agelli,*
*Hic, ſecurus opum, & vani contemptor honoris,*
*Diligis innocui divina ſilentia ruris,*
*Et caligantes ſacrâ formidine lucos*
*Perreptans, patriam lætus conſurgis in æthram*
*Mente tua, ſuprema petens, tacitèque revolvis*
*Gaudia, queis olim es fruiturus, quando, relicto*
*Corpore, cœleſtes conſcendet ſpiritus arces.*
*Fortunate ſenex, qui deterioribus annis*
*Has delegiſti ſedes, quas nec ſitis auri*
*Incolit, aut miſeras invertens ambitus urbes,*
*Sed mentis ſecura quies, quæ prævalet omni*
*Theſauro, regumq́ opibus, clariſq́ triumphis,*
*In quibus aſſiduæ poſuêre cubilia curæ.*
*Hìc tibi contingunt ſolatia grata ſenectæ;*
*Nam tectas avibus pedicas moliris, & auceps*
*Decipis, aut lepori villoſo retià tendis,*
*Aut vitem, ramoſve putas, feſſuſq́ putando,*
*Membra ſalutifero tradis mulcenda ſopori,*
*Quà molles herbæ, aut viridiſſima gramine ripa eſt,*
*Vndarum ſuadente ſono, quæ lævia lapſæ*
*Saxa per, & ſalebras, grata raucedine plaudunt.*
*Interea errantum reſonat per grata boatus*
*Vaccarum, numeros volucres meditantur, & auras*
*Mulcentes, grato mala tædia murmure fallunt.*
*Aut quandò excubitor lucem prænunciat ales,*
*Quæ ſomni, atque operum juſtas diſterminat horas;*

*Tityrus*

*Tityrus egreditur tectis, pingueſque capellas*
*Per creperam lucem comitans in paſcua ducit;*
*Defeſſuſq; viâ, roranti culmine montis*
*Conſidet, & calamô veteres decantat amores*
*Æmulus Aſcræo vati; vel pectora luſu*
*Oblectans, agiles ad luctam concitat hircos.*
*Quàm juvat hæc vidiſſe ſenem, quem nulla fatigat*
*Cura, nec occultis ſudant præcordia culpis?*
*Hæc tibi fata diu Verlani gaudia præſtent,*
*Dum (quod contingat ſerò) terrena relinquens*
*Purior ad patrios mens eſt reditura penates.*
*O mihi ſi quondam talem dent Numina vitam,*
*Non ego divitias Arabum, non regna potentum*
*Prætulerim, modicô ſat fortunatus agellô.*

## Ad Incomparabilem virum Dominicum BAVDIVM I.C. & Hiſtoriarum quondam Profeſſorem, cum Civilis & Moralis ſapientiæ Monita, Lugduni Batavorum ederet.

### ODE.

*QValis miniſter fulminis ignei*
*Ales, Tonantis perpetuus comes,*
*Cœlos anhelans puriores;*
*Spernit humum fugiente pennâ:*
*Cunctaſque poſt ſe deſerit alites,*
*Non ſuſtinentes lumina Cynthij,*
*Quæ ferre jam curâ paternâ*
*Condidicit teneris ab annis:*
*Talis, peruſtus Baudius igneo*
*Calore pectus, evolat altius,*
*Supràque mortales caducos*
*Exerit ingenij vigorem.*
*Sic magnus olim Flaccus in æthera*
*Rupit, potenti numine concitus,*
*Sic ſemper ad laudem, decuſque*
*Evehitur generoſa virtus.*

*Tritas popello currere ſemitas*
*Spernens, viarum diligit aſpera,*
*Hic collocata ſcit laborum*
*Præmia, perpetuæque curæ.*
*Sic perge Baudi, propoſitum preme,*
*Nil Momus in te, nil tua tempora*
*Ingrata vivis, invidorum*
*Nil ſtreperi poterunt ſuſurri.*
*Virtus Pyropo lucidior, ſibi*
*Vult invideri, quoque magis furit*
*Gens noctuarum, fulgurantes*
*Hoc magis eiaculatur ignes.*
*Vt ſuber undis uſque ſupernatat,*
*Mergi repugnans: ſic tua gloria*
*Injurioſâ mole preſſa,*
*Altius evolitabit ales.*
*Tu poſterorum laudis adorea*
*Recens vigebis, immerito mori*
*Cœlum recludetur, nitenſque*
*In medio ſtatuêre Vatum.*

## Poëtæ eximio Danieli Heinſio Gandenſi, apud Batavos Lugduni Profeſſori digniſſimo.

### ODE.

*POëta magne, qui tacitè mihi*
*Nondumque viſus, carmine junctus es,*
*Quô maximo pridem placebas*
*Scaligero, egregioque Douſæ;*
*Quæ Suada; quis nos inſinuet (precor)*
*Sodalitati Mercurius tuæ?*
*Quis det mihi frui Heinſianæ,*
*Colloquio, ſalibuſque linguæ?*
*Tecum nec aurum materiem mali,*
*Nec obſtupeſcam ſceptra regentium,*
*Non ambitum mirer clientum,*
*Non hominum miſeros honores;*

*Hæc*

*Hæc cuncta magno pectore rideam,*
*Velutque celſo culmine montium*
*Locatus, hoc inane rerum*
*Deſuper aſpiciam quietus.*
*Viſemus altos hôc poſiti ſolô*
*Simul receſſus ætheris ignei,*
*Menteſque perrumpent coruſcum,*
*Corporeâ ſine mole, cœlum.*
*Excelſa magni pectoris indoles,*
*Humi morari neſcit, in arduum*
*Erumpit, hìc adſtans Tonanti*
*Æthereos ſpeculatur ortus.*
*Quanta hæc voluptas cernere ſyderum,*
*Tellure ſpretâ, luciferos globos,*
*Et machinæ, moliſq; tantæ*
*Mente Deum ſtupuiſſe fabrum?*
*Natura nobis conſimilem Dijs*
*Mentem creavit, omnia pervolat*
*Currens, recurrens, inque ſeſe*
*Hoc patulum capit univerſum.*
*O quiſquis illam ſic habet, ut ſuprà*
*Opes, honores, vanaque cætera*
*Conſiſtat, is ſuo caducô*
*Cœlicolas imitatur ævô.*

## Ad Familiarem quendam ſuum.

*MIraris uſque, cur ſacer vatum chorus*
*Contemnat urbes, & ſuas ſylvas amet:*
*Hæc cauſa, Amice, eſt: Vrbs ſtrepens tumultibus,*
*Suiſque curis; cogitantibus nocet:*
*Nam ſicut altum promovet ſilentium*
*Ad alta mentes, ſic tumultus dejicit,*
*Sinitq; nullum vindicare ſe ſibi.*
*Adde & quod ardens ingenî noſtri vigor*
*Claudi recuſet urbicis repagulis,*
*Volens aperto divagari in æthere.*
*Hoc ſylva præſtat, hic per alta collium*

*Errans vireta, gaudet, & moleſtijs,*
*Curiſque liber, concinit carmen Deo.*
*Movet calores interim ſilentium,*
*Quieſque ruris, aura leni ſibilo*
*Favet canenti. Quis, (niſi poëticum*
*Qui non ſubivit limen & dulces fores)*
*Nil mente magni cogitet? cum per ſacras*
*Noctis tenebras divagatur undique*
*Silente mundo, quàm juvat tuerier*
*Cuncta intuentum ſiderum frequens decus,*
*Et prata vultu roſcido madentia?*
*Cum nox recedit, lux recurrit aurea;*
*Vigilemque vatem ſuſcitant ad munia*
*À parte cuncta conſonantes alites;*
*Tunc rurſus horti contueri purpuram,*
*Agmenque florum nocte natorum libet.*
*Colleſque picti primulo diluculô*
*Recente rore pectus ad ſeſe trahunt,*
*Hîc aut petulci ſunt ei carmen capri,*
*Aut fons ſonoris bulliens è rupibus*
*Aut Phyllis imis deliteſcens vallibus*
*Malis laceſſens fiſtulantem Tityrum.*
*Quanta hæc voluptas verſibus ſylveſtribus*
*Cantare? quandò tale præſtant oppida,*
*Quæ, quam tumultus, nil habent, atque ambitum?*
*Hæc cauſa Amice eſt, cur ſacer vatum chorus*
*Contemnat urbes, & ſuas ſylvas colat.*
*O ſi mihi olim Cœlitûm benignitas*
*Tribuat quietè prata ſolitaria*
*Habitare, quæ nunc arido rivo fluit,*
*Torrentis inſtar vena manaret mihi.*

## Ad doctiſſimum virum, D. Gulielmum Traudenium, præceptorem olim ſuum.

*TRaudeni columen novem ſororum,*
*Qui, me Socratico ſinu receptans,*
*Mores, ingeniumque fabricaſti;*

*Quid*

*Quid te, dulce Decus meum, coëgit*
*Tam diu ſollicitâ morari in urbe?*
*Non auri ſitis, ambituſve, mentes*
*Cogens quidlibet & pati, & patrare,*
*Sed mens ſedula, gnava promovendi*
*Tuos diſcipulos ad altiora;*
*Viſne, dum Canis æſtuans calore*
*Solvit corpora, diſſecatque campos;*
*Linquamus ſtrepitus furentis urbis,*
*Seceſſus tacitos petamus horti,*
*Muſis dulcibus optimi ſodales?*
*Hîc pronus tremulâ cubans in umbrâ,*
*Si quos fortè tibi tuæ camænæ*
*Plectro verſiculos Horatiano*
*Dictarint; mihi præleges, viciſſim,*
*Si quos Lux mea, promovens calores,*
*Rudes verſiculos ſonare coget*
*Agreſti calamô; tibi legentur.*
*Iam mihi videor perambulare*
*Dulces areolas, per & vireta,*
*Nunc rurſus videor loquace ripâ,*
*Mulſus lenibus arborum ſuſurris,*
*Grata carpere ſomnulum ſub umbrâ.*
*O ſerenior hortuli voluptas,*
*Tu noſtri requies laboris eſto.*
*Fœlices ter, & amplius putandi;*
*Quos ſummus pater, arbiterque rerum*
*A turbis voluit tumultuoſis*
*Remotos; ſibi vivere, atque obire.*

## Proſopopæia mortui noſtri reverendi Avunculi magni, Henrici Iohannis Thardt.

*O Curvæ in terris animæ, & cœleſtium inanes,*
*Quid mea flebilibus violatis buſta querelis!*
*Quid ſibi volt gemitus? quid ſingultantia verba,*
*Quæ medio fletu vox intercepta profatur?*

*Vſque adeòne mori miſerum eſt? ab ſiſtite fletus,*
*Siſtite, ne tali ſitis pietate profani,*
*Debita naturæ mors eſt, Capit omnia tellus*
*Quæ genuit. Stultum eſt communem plangere ſortem,*
*Omnibus hæc lex eſt, hac conditione creamur.*
*Tum decuit fleviſſe viri, cum luminis oras*
*Parvulus ingrederer, ſubiturus vincula diri*
*Corporis, & mundi immundi paſſurus amarum*
*Servitium. Exuviæ, falſæque incommoda lucis*
*Iſtîc nunc mala turba jacet, nos nobile cœli*
*Depoſitum, optatâque domo, patriâque potimur,*
*Vixi, &, quem dederant curſum mihi fata, peregi,*
*At jam parta quies, nullum maris æquor arandum*
*Amplius, æterno fundata eſt anchora fundo:*
*Nunc animus tandem cœlo prorumpit aperto*
*Liber, &, humanis quantum inſit rebus inane,*
*Deſpicit, ac ridens lætatur fine laborum.*
*O bona mors, portus, ſtatioque aptiſſima feſſis*
*Mentibus, eheu quàm cæcis erroribus actus,*
*Et Sirenæis degens in cautibus orbis,*
*Teque, tuaſque ſimul ſtudui vitare ſagittas,*
*Demens, heu nimium demens: nam mors mala nunquam eſt*
*Quam bona præceſſit vita, & meditatio vitæ*
*Alterius, ſed queis pariter cum corpore putri*
*Omnia putreſcunt; his formidabilis adſtat.*
*Fœlices lethi, pietas quos addidit aſtris.*
*Quid vita eſt aliud, gravium quàm Lerna malorum*
*Cui comites ſunt; ſpes, Metus, & non pura voluptas*
*Dura palæſtra pijs, donec mens alta, ſuumq́;*
*Aſpirans ortum. ſquallenti carcere clauſa eſt:*
*Nam ratio, reſidens capitis ſublimis in arce,*
*Aſſiduòque ſuum cupiens defendere regnum,*
*Cogitur Affectus ſervos tolerare rebelles,*
*Injuſtumque jugum: Nam terræ, terrea moles*
*Corporis; affixa eſt: Ratio cœleſtia anhelat.*
*Perpetuum eſt bellum hoc, niſi dictatura Tonantis*
*Seſe interponens capitales ſeparet hoſtes.*

Ad unde-

# Ad undequàque doctiſſimum Mathematicum D. Wilbrordum Snellium R. F.

## ODE.

*O Magna magni progenies patris,*
*Cui latentes pandit origines*
*Natura rerum, Cœlitemque*
*Hac fragili facit eſſe terrâ,*
*Quam vim Prometheus ille hominum ſator*
*Creando veſtris indidit artubus;*
*Quo finxit è luto latentes*
*Pectoris omniſcij receſſus?*
*Non viliori, non equidem puto:*
*Sed apprehenſam Palladis è ſinu*
*Prudentiam, quam cæterorum*
*Parcius attribuit creandæ*
*Menti; tibi uni largius addidit:*
*Nam tu, caducis cœtibus altior.*
*In aſtra tendis, ſordidamque*
*Spernis humum fugiente pennâ.*
*Mens orta Cœlo ſpirat originem,*
*Pigroque quamvis carcere clauditur,*
*Hanc patriam tamen reviſit*
*Corporea ſine mole velox.*
*Hæc eſt voluptas, hoc tibi gaudium*
*Videre Cœlos, & vaga ſydera,*
*Notare Solis, atque Lunæ*
*Vmbriferos animo labores.*
*Nos cogitantes nil niſi terrea,*
*Segnes veterno, particulam ſacram*
*Fœdamus, & caduca ſtulti*
*Præferimus bona ſempiternis.*
*Vt bruta, queis in paſtibus eſt ſita*
*Vis omnis, & queis terra poli vice eſt:*
*Sic nos vagamur, menſque ſidit*
*Inferior capite elevato.*
*O te beatum Snelliade, cui*

*Deus Creator pectoris hanc dedit*
*Vim, quam reſerves, donec altos*
*Cœlitũum repetas receſſus.*

## Ad ingenuum, verèque nobilem adoleſcentem D. Gyſbertum Duvenvoordium.

### ODE.

*QVid bella ſemper, quid gladios crepas,*
*Ludoſque Martis, O Iuvenum decus?*
*Hâc mente te non, hos in uſus*
*Pierides minimè educarunt.*
*An non (amabo) dulcius eſt, ſuos*
*Verſare libros, cumque ſacro choro*
*Norem ſororum, molle carmen*
*Gorgoneo reſonare monte;*
*Quàm nigricantem cernere ſanguinem*
*Spumare terris, & ſubitos ſonos*
*Audire, cum tormenta belli*
*Fulmineos jaculantur ignes?*
*Cœlo beabunt Pierides tuum*
*Nomen, nec ullo ſanguine gloriam*
*Hanc conſequeris, cum triumphus*
*Bellicus, immodico cruore*
*Niſuque conſtet, ſæpius & comes*
*Sit ipſa mors, quæ lege pari rapit*
*Imos, & inſignes, duceſque*
*Militibus minimis adæquat.*
*Quod ſi ſeverum propoſitum premis,*
*Et militandi mens ſit; honeſtius*
*Monſtrabo bellum, quod gerendum*
*Propoſuit Deus unicuique;*
*Te vince. Summa eſt hinc animæ ſalus*
*Tibi futura. Rex eris omnium*
*Fortiſſimus; cum turbulentæ*
*Rex fueris, Dominuſque mentis.*
*Vides ut intus ſeditionibus*

*Conta-*

*Contagioſis omnia ferveant,*
*Hinc ira ſurgit, hinc libido,*
*Inde fames maleſuada famæ.*
*Suos tyrannos fert Ratio impotens,*
*Cui jus regendi Dij dederunt tui,*
*Nil frena proſunt, in ruinam*
*A proprijs raperis quadrigis.*
*Compone bellum hoc: Fruſtrà etenim foris*
*Certatur; intrà mœnia ſi furor*
*Graſſetur hoſtis, civitati*
*Inſidias meditans doloſq́;.*

## EPITHALAMION
## In Nuptias Conſultiſsimi viri D. Petri Walenburgij, & lectiſſimæ Virginis Geertrudæ Langiæ.

*QVondam Diva Venus (favete dictis)*
*Infantem peperit, Dij Deæque*
*Omnes conveniunt, & inter illos*
*Partum Iuppiter ipſe gratulatur,*
*Arriſit Superis puellus, aſt (heu)*
*Ridendo pupugit Iovem miſellum,*
*Nam febrim trepidis ſtatim per ortus*
*Latè ſerpere ſenſit, intimaſque*
*Cæcis ignibus exedi medullas:*
*Chiron conſulitur, tremente Venam*
*Tentat pollice, ſed ſuo tenore,*
*Non præter ſolitum, refert moveri.*
*Ridet Iuppiter artis imperitum,*
*Compellatque Themim, cui Deorum*
*Datum munere vera prædicare;*
*Hæc ſub veſtibus aſſerit Sororis*
*Medelam dubij latere morbi;*
*Statim Iuppiter Alite expeditâ*
*Iunonem petijt, memorque dicti*
*Quæſivit medicamen à Sorore.*

*Nec ſibi modò ſcivit hanc medelam,*
*Sed ſeris quoque poſteris recluſit.*
*Hinc quandò petulans Puella ſeſe*
*Offert luminibus, ſuoſque nutus*
*In nos ejaculatur; impotentes*
*Toti ſolvimur, integerque ſanguis*
*Fervet turbidus, expetitque jungi,*
*Sciens Virgineo in ſinu medelam.*
*Teſtis Sponſe, cui cupitus ardor*
*Iam nunc in geminis quieſcet ulnis.*
*O quàm flamma tuos peredit artus,*
*Dum morbi taciti latens origo*
*Senſim ſerperet altius, ſuique*
*Per contagia creſceret veneni?*
*Virgo blanda, proterva Virgo quas non*
*Tibi nequitias libidineſque*
*Parabat, digitis & ore blando*
*Dum dulces caneret modos Amorum,*
*Nunc rurſus rigidæ velut Sabinæ*
*Omnes ſperneret impetus Amoris?*
*Tu tu ſaucius undecunque, Venis*
*Cæcum vulnus alis, foveſque flammam,*
*Et pætos quoties vides ocellos*
*Toties jecur omne devoratur.*
*Tandem longius hoc jugum peroſus,*
*Ignem detegis: illa poſt moleſtas*
*Perpeſſas hyemes, graveſque noctes*
*Æquales quoque concipit calores.*
*Fœlix, poſt varios cui labores*
*Contingit placidum ſubire portum,*
*Fœlix ſponſe, cui datur potiri*
*A quâ tot tulerunt Proci repulſam,*
*Eia nunc age ſint procul remotæ*
*Puræ carnifices ſerenitatis*
*Curæ, ſemina peſſimæ ſenectæ.*
*Victor fervide vindicato temet*
*Linguâque, oreque, morſiunculâque,*
*Et pro noctibus, aſperiſque verbis*

*Æquales dato baſiationes,*
*Minutæ faculæ, minutiores*
*Dij Cœli, nitidi Iovis Quirites*
*Apparent, vocat Heſperus, Venuſque.*
*Vos caſti comites thori puellæ*
*Sponſæ figite baſium ſupremum,*
*Cras matri ſimilis ſua redibit.*
*Ite nobile par, valete multum,*
*Et brevi datè filios tenellos,*
*Qui vobis lepidis ſuis loquelis*
*Levent tædia proximæ ſenectæ.*

## Doctiſſimo & integerrimo Adoleſcenti D. Gerardo Bronchorſtio, Clariſſimi Viri Everardi Bronchorſtij filio, cum Lug. Batav. publicè de jure reſponderet.

*Heroe natis quanta neceſſitas*
*Incumbit altos ire per impetus,*
*Semperque ſe præſtare dignam*
*Egregio ſobolem parente?*
*Locus latendi talibus haud datur,*
*Inſueta ſperat vulgus, & omnium*
*Arrecta corda pollicentur*
*Nil triviale ſibi, aut minutum.*
*Hinc celſus urget ſpiritus, hinc pudor,*
*Hortator acer, promovet inſitas*
*Vires, & imbelles lacertos*
*Auſibus exacuit probandis,*
*Ne facta patrum deſidiæ ſuæ*
*Fulcrum putantes, & genus improbent,*
*Seſeque quò ſunt clariores,*
*Degeneres magis eſſe prodant.*
*Nam geſta patrum nobilium, notæ*
*Sunt filiorum degenerantium,*
*Vt turpitudo clarioris*
*Lucis ab oppoſitu probatur.*

*Hoc cavit olim Dardanius Puer,*
*Dum non inertes, vel timidas feras,*
*Sed patriæ virtutis hæres,*
*Optat Aprum, aut rabidum Leonem.*
*Innata virtus omnia perpeti,*
*Quàm turpe mavult opprobrium, neque*
*Mors ipſa ſi premat, decori*
*Propoſiti moveat tenacem.*
*Hic ardor, hæc vis te quoque compulit*
*Multis negatam tendere ſemitam,*
*Bronchorſti, inacceſſos parentis*
*Dum ſequeris generoſus auſus,*
*Parentis ejus, qui geminos polos*
*Famæ levatus curribus arduis*
*Percurrit, & ſui nitore*
*Nominis obſtupefecit omnes.*
*Quem nos tonantem de cathedrâ ſuâ*
*Audimus alto turba ſilentio,*
*Doctoque pendentes ab ore*
*Legiferum rediiſſe Paulum*
*Cenſemus aſtris. Perge age ſpes Patris*
*Implere tanti, principia hæc erunt*
*Majoris auſus, mox & ipſum*
*Nomine reque dabis parentem.*
*O ille quantâ lætitiâ caput*
*Hinc inde ſparſum canitie, dabit*
*Suæ quieti, cum videbit*
*Se in proprio ſupereſſe nato.*

## Honori erudiтiſsimi modeſtiſsimique Iuvenis D. Iacobi Realij P.F. cum publicè Lug Batav. Theſes juridicas proponeret.

*PRudenter ille Rector & rerum parens,*
*Probo cuique candicantes gloriæ*
*Inſevit ignes, quos flabello provido*
*Dictator ille terrei corpuſculi*

*Ratio*

*Ratio fovere debet, & rectâ viâ*
*Virtutis , altum promovere ad æthera;*
*Divina namque mens licet ſuo ſibi*
*Placeat theatro, quatenus cœli ſui*
*Eſt æmulatrix, atque ſimplex, attamen*
*Honorem anhelat magna quatenus viget.*
*Hinc ardor ille Heroicus ſpernens moras,*
*Inſueta tentat, ſeque vix velox capit,*
*Temnique cenſet dulce Virtutis decus*
*Contempto Honore. Teſtis es magno patre*
*Condigne Fili ; qui peruſtus Gloriæ*
*Calore ; dignum laude certamen ſubis,*
*Rediſque victor , non ſuperbus ſanguine,*
*Sed pulchriori Gloriæ fulgens face.*
*At heus monendus hoc tamen diſcas velim,*
*Inſiſte pugnæ huic, ne remitte ſpiritus,*
*Faceſſat omnis torpor , & pigrum pecus*
*Fucos habere res ſuas ſibi jube:*
*Hi namque ſeſe putrido fixos ſolo*
*Fœdè remittunt , neſcijque originis*
*Populare menti nobili imponunt jugum,*
*Vivumque funus ambulant , donec ſolum*
*Illos repoſcat , nilque præter ſpiritus*
*Abominandos naribus linquunt ſuis.*

## Nobiliſsimi, doctiſsimique Iuvenis D. Bartholdi Wicheringij albo inſcriptum.

*NObilitas, ſplendorq; patrum, quos ardua virtus*
*Extulit, & quorum , jam tot labentibus annis,*
*Fama viret, natos, & qui naſcuntur ab illis*
*Admonet , ut laudes partas inſignibus auſis,*
*Accumulent virtute novâ, ne monſtra, ſuæque,*
*Degeneres fuci, fiant injuria gentis:*
*Sed miſeros perſæpê patres ſpes lactat inanis,*
*Dum ſoboles nimium generis ſuffulta nitore,*
*Egregiumq; putans per teſtamenta relinqui*

*Nomen ; in obſcuras detrudit pulchra tenebras*
*Geſta patrum , nilque ipſa animo laudabile volvit,*
*Sic Heros quondam, domitis agnomen ab Afris*
*Cui virtus invicta tulit ,ſplendoris acerbam*
*Pertulit eclipſim in nato , præclaraque magni*
*Facta patris, ſobolis crimenque , & ſtigma fuerunt.*
*At te flos juvenum , quem quondam cura benigni*
*Sideris, & placido viderunt lumine Parcæ;*
*Mens alia impellit: nam famæ incumbere patrum*
*Vile putans ; proprio geſtis ſplendere nitore,*
*Non ſecus ac quondam generoſi ſeminis infans*
*Magnus Alexander , fertur doluiſſe, parentem*
*Omnia jam viciſſe, ſibique haud eſſe relictum*
*In quo virtutis propriæ queat edere ſignum.*
*Macte animi Iuvenis , ſemperq; hanc comere partem*
*Perge tui, quæ, cum vitientur cuncta ſenectâ,*
*Emicat , & longis vires ſibi ſumit ab annis.*

## Ad Amicum quempiam.

*DVm tu moleſtô commorans in oppido,*
*Amice curas, quid ſevera cogitet*
*Cohors Iberi , quiſve publicæ rei*
*Status ſit aptus, atque vertici tuo*
*Curando crines albicantes imprimis;*
*Ego ſolutus omnibus moleſtijs,*
*Horti beatos terminos lætus colo;*
*Hic in virenti molliter ripâ cubans,*
*Mulſus ſuſurris arborum trementium,*
*Aut garrienti fluminis lymphâ vagi,*
*Carpo ſopores, aut ſub undis vitreis*
*Piſces biantes fallo glabrâ arundine,*
*Aut inter agnos debiles, & hædulos,*
*Boveſve ſtratus, tale carmen concino,*
*Aſcræus olim quale vates condidit,*
*Quando in reductis montium cubilibus*
*Satyros ſtupentes detineret verſibus.*
*Aut quale quondam conſonabant Arcades*

Cum

*Cum ſæva nondum turma militantium*
*Miſeros Menalcas, Daphnideſq; è paſcuis*
*Proprijs recedere exules coëgerat.*
*Quàm dulce tunc eſt, cum boatus interim*
*Gregis cubantis obſtrepit, vel fiſtula*
*Cogentis agnos in vireta Tityri?*
*Hinc grata texunt árbores umbracula,*
*Eduntque lenem ſibilum motis comis,*
*Hinc unda pronis murmurat decurſibus,*
*Illinc ocellos, ſylva paſcit florida,*
*Aves per omnes ſaltitantes ramulos*
*Vltrò citroque, cantibus me recreant,*
*Vireſq; mentis ſolitudo ſuſcitat.*
*I nunc, tuamq; compara vitam meæ*
*Memet beatum, te miſellum dixeris,*
*Vereq; dices eſſe nil fœlicius;*
*Quam diſſolutum poſſe curis vivere,*
*Deſideratoq; hortulo acquieſcere.*

## Præcepta quædam cuique ſapienti ſervanda.

*QViſquis beatam Cœlitum vitam ſequi*
*Mortalis optat: hæc ſibi quam ſædulò*
*Servanda ducat: Conſtitutus in ſtatu*
*Modico, quieſcat, non anhelans alterum,*
*Talenta Cræſi vincit alto pectore,*
*Qui vivit inſons ſorte contentus ſuâ.*

## Aliud.

*AD lætiorem merſus ex ſorte anxiâ,*
*Semper prioris ſit ſui ſtatus memor,*
*Metuens ſecundos, providus rectè, Deos:*
*Quo ſortis aura fluctuantis altius*
*Evexit, ac levavit humanas opes,*
*Hoc ad ruinam prominent magis ſuam.*

## Aliud.

*ILluſtre quamvis nomen, & decus gerat;*
*Non intumeſcat; Namque nulla certior*
*Nota impotentis, quàm tumens ſuperbia.*
*Virum poteſtas arguit; tunc optimè*
*Quid quiſque ſit cognoſcitur; quandò decus*
*Defertur illi: qui remittit ſpiritus*
*Animi ſuperbos; tollitur, qui ſurrigit,*
*Calcatur uſque, ſingulis faſtidium.*

## Aliud.

*SIve in ſecundis, ſive rebus aſperis*
*Poſitus ſit, altâ mente terram deſerat,*
*Cœlumq; (ſicut Armiger magni Iovis)*
*Veſtiget, &, quod hic ſitum eſt, ſummum bonum.*
*Quicunq; terræ fixus hæret torpidæ*
*Dulci venenô inebriatus plurimum,*
*Hic jure vivens eſt vocandus mortuus.*
*Contempta res mortalis eſt, niſi ſuprà*
*Mortalitatem ſurgat, & cœlum petat.*

## ODE.

*EHeu quàm rapidis tempora paſſibus*
*Nobis prætereunt? volvimur indies*
*Ad metam miſeri, nec ſenium tamen*
*Perſentiſcit homo ſuum.*
*Incrementa brevis, (ſi bene computes)*
*Ætatis, proprio nomine dicier*
*Decrementa merent: nam perit hic dies*
*Quem vitæ addier autumant.*
*Inter ſordidulas ſollicitudines*
*Ætas tota perit. Nil homines, niſi*
*Nugas, parturiunt niſibus improbis,*
*Nemo ſe ſibi vindicat.*
*Hic vani tituli turget honoribus,*
*Monſtrari digitis magnificum putans,*

*Cum*

*Cum mors æqua tamen ſingula deſtruens,*
*Spernat magnificum decus.*
*Hic certamen opum cum reliquis init,*
*Et, dives loculis, pectore pauper eſt,*
*Dum menti cupidæ ſors ſua diſplicet,*
*Et ſors alterius placet.*
*At quantas animi ſollicitudines*
*Ponit, qui fragiles res hominum æſtimans,*
*Vitam condidicit ſpernere flebilem,*
*Vivens fata præoccupans?*
*Hic curis hominum mortuus omnibus,*
*Ignotuſq́ alijs, ſecum habitat, ſibi*
*Prudens uſque vacat, cunctaq́ negligit,*
*Extra ſe nihil expetens.*
*Non hic ſpe fluitat pendulus horulæ*
*Incertæ, quoniam dicere huic licet*
*Vixi, ſpem reſeco, quod Superi dabunt;*
*Apponam facili lucro.*
*Hujus non animum ſollicitant opes,*
*Nam, quodcunque Dij contribuunt, capit*
*Gratus, quod rapiunt, reſtituit, ſuis*
*Se virtutibus implicans.*
*Tantum vel modicis conditionibus*
*Mens contenta valet. Ditior omnibus*
*Hic audire meret; paucula qui tenens,*
*Nil majus tamen expetit.*
*Quid mortale genus, hoc ſpatio brevis*
*Ævi, multa petis? regna, potentiam*
*Venaris? ſtolidè quò fugis? heu redi,*
*In te ſingula deſident.*
*Regnum perpetuum mens bona poſſidet;*
*Mentem quære bonam, cætera neglige,*
*Hanc cum nactus eris, tum ſapiens ſcies*
*Quàm non ſana petiveris.*

# Piæ aliquot Meditationes.

## MEDITATIO I.

*IMmenſe Rector Cœlitum,*
*En lux recedit publica,*
*Vicibuſque mundum debitis*
*Nox imminens amplectitur;*
*Te ſupplicantes poſcimus*
*Fugare nubes pectoris,*
*Vt dum carere lumine*
*Illo diali cogimur,*
*Luſtremur omnes cœlitus*
*Divinitatis lampade.*
*Da corpori laboribus*
*Feſſo diurnis, molliter*
*Pièque, conquieſcere;*
*Quò ſic refectis viribus,*
*À laudibus tibi debitis*
*Solita auſpicemur munia:*
*Sed inſtat hoſtis, ac parat*
*Arcum, & ſagittarum minas,*
*Exſurge Dux fortiſſime,*
*Illique ſperatam diu*
*Palmam reſiſtens præripe.*
*En præliandi callidus*
*Occaſionem jam capit*
*Et ſempiternis nititur*
*Mentem implicare nubilis,*
*Nunc tortuoſus Proteus*
*Se blandienter ingerens,*
*Nos per meandros plurimos*
*Sibi ſubjugare cogitat,*
*Modò furorem Panicum*
*Intentat, atque corpori*
*Rabiem minatur inſolens,*
*Vt preſſus aridâ fame*
*Lupus, undecunque circuit*

*Imbelle paſtorum pecus,*
*Quod ni Moloſſicûm Canum*
*Amica vis defenderit,*
*Iam morſibus totum patet.*
*Adeſto Paſtor cordium,*
*Illamque partem Spiritus*
*Tui tuêre traducem;*
*Vt poſt labores plurimos,*
*Quos exulans fert indies,*
*Cœlo recepta gaudeat*
*In patrijs ovilibus.*

## MEDITATIO II.

*QVouſque tandem Mens mea,*
*Tradux Supremi Numinis,*
*In ſordibus fœdiſſimis*
*Hærebis hujus ſæculi?*
*Exſurge, ſurſum te vocat*
*Origo cœleſtis tua,*
*Habituſque celſi corporis.*
*Quamvis parat cupidinum*
*Æſtus rebellans prælia,*
*Et jam refectis viribus*
*In te paratam cominus*
*Signum movet, reſiſtito,*
*Namque eſt triumphandum malum.*
*Sed, heu; moras recalcitrans*
*Intexis? an mundi decus,*
*Aut umbra vanæ gloriæ*
*Pedem paratum detinet?*
*Hæc cuncta mundi ludicra*
*Habere res ſuas jube,*
*Quò ſit locus cœleſtibus:*
*Vt ægra namque luminum*
*Acies, Diale Cynthij*
*Tolerare lumen non valet;*
*Sic preſſa mens caligine*

*Mundi caduci, fulgidum*
*Dei jubar non ſuſtinet.*
*Quid vita? nunquid omnium*
*Centrum dolorum, quod Metus,*
*Et Spes futurorum ambiunt?*
*Nulla hîc voluptas candida,*
*Sed ſemper illius latus*
*Mœror velut comes fodit.*
*Iam forſan incubat tuo*
*Mors atra collo, quæ vetat*
*Spes inchoare credulas.*
*Stat cuique vitæ terminus*
*Fato locatus, quàm propè*
*Verſetur ille, incognitum eſt.*
*Hæc ergò crede Maximum*
*Tibi Imperatorem loqui;*
*Eſt tranſeundum, ſarcinas*
*Paratus Hoſpes collige.*
*Quidnam repones? heu miſer,*
*Hîc nullus eſt mimo locus;*
*Velo levato ſingula*
*Illi patebunt; Intimo*
*Tunc eruentur pectore*
*Voces ſine arte. Tunc eos*
*Dices beatos, indies*
*Qui providi vitæ ſuæ*
*Manum applicarunt ultimam.*

## MEDITATIO III.

*QVocunque Rerum Conditor,*
*Aciem reflecto luminum,*
*Noſtri recurſat undique*
*Facies ſtatus miſerrima;*
*A fletibus primordium*
*Haurimus ævi, huic conſonat*
*Exinde vitæ fabula.*
*Boves, oves, & alites,*

Simul

*Simul atque in auras luminis*
*Prorepſerint, niſus ſuos*
*Et functiones explicant,*
*Nos deſtituti viribus*
*Et vagientes flebile,*
*In ſordibus miſerrimis*
*Et fœdeolenti ſtercore*
*Pereamus omnes, ni ſtatim*
*Nutricis occurrat manus.*
*Iam quandò adulta nos viris*
*Adſcripſit ætas, undique*
*Curæ æſtuantes ingruunt.*
*Vtrumque ſolis tramitem*
*Percurſitamus ſædulò,*
*Vt adſit, unde corporis*
*Neceſſitati ſit ſatis,*
*Cumque arbitramur undique*
*Noſmet beatos, intonans*
*Fortuna fallax, nos humi,*
*E maximis faſtigijs,*
*Gravi ruinâ dejicit.*
*Adeò citò mortalium*
*Fœlicitati ſyllaba*
*Accedit una. Quid loquar*
*Morbos, & ærumnas graves,*
*Queis uſque & uſque ſubjacet*
*Mortalis imbecillitas?*
*Nunc, mordet illud, nunc premit*
*Nos ille vitæ carnifex.*
*A parte cunctâ denique*
*Nunquam beatos Sol videt,*
*Vt inquilini ſedibus*
*Dubijs vagantes, rarius*
*Habitant quietè aut commodè:*
*Sic donec hîc perfungimur*
*Mortalitatis munere,*
*Cœleſtis arcis exules,*
*Iactamur incerto mari.*

*Ita*

*Ita Imperatori Deo*
*Viſum, placetque, nec poteſt*
*Autoritate propriâ*
*Statione quiſquam excedere;*
*Ne dirus atque pertinax*
*Deſertor ejus audiat.*
*Vt menſibus novem tenens*
*Nos matris alvus, aëri*
*Cœlique tempeſtatibus*
*Corpuſculum hocce præparat:*
*Sic & per has triſtes moras*
*Mortalis ævi, nos Deus*
*Vitæ ſequenti fabricat.*
*O ille decretorius*
*Quandò appetit nobis dies*
*Qui mixtionem corporis*
*Animique noſtri ſeparat,*
*Tunc gaudij demum locus,*
*Tunc intonandum lætius.*
*Pars illa noſtri ſanctior,*
*Capaxque ſublimis Dei;*
*Hâc ſervitute flebili*
*Soluta, patriæ ſuæ,*
*Originique redditur,*
*Quodcunque circà ſe videt*
*Rei caducæ, deſpicit,*
*Linquitque non ingratijs*
*Iamque inter altos Cœlites*
*Locata, mortales videt,*
*Et ridet actus; utpote*
*Cui nota nunc æternitas,*
*Bonumque ſummum, quod vijs*
*Varijs vagando erronei*
*Homunciones quærimus.*
*Hæc feriatis ſenſibus,*
*Affectibuſque corporis,*
*Dum mente mecum rumino;*
*O par Deo Patri Deus:*

*Opto diem qua deſeram*
*Hoc contubernium mali,*
*Interque ſanctos Martyres*
*Et ſimplices columbulas*
*Ævo perenni perfruar.*
*Hoc da Creator omnium,*
*Vbi limitem fatis datum*
*Peregero ; ſic ſit tibi*
*Cum Patre ſummo gloria*
*Per ſæculorum ſæcula.*

*FINIS.*

---

Mendæ quæ irrepſerunt ſic emendabuntur.

| *Pagina.* | *Linea.* | *Errata.* | *Emendationes.* |
|---|---|---|---|
| 26. | 25. | pettoris. | pectoris. |
| 30. | 33. | ſacrum | ſaccum. |
| 66. | 13. | via | vix |
| 161. | final. | Quos Iupp. | Quos æquus amavit |
| 164. | 2. | ἡ | ὑ |
| 176. | 4. | quâ | quæ. |
| 185. | 2. | avis | aves. |
| 206. | 26. | certa | certus. |
| 210. | 4. | ϖαυτῶς | παντῶς |
| 228. | 32. | grata | prata |

RARE 93-B
1936

GETTY CENTER LIBRARY